

**Hippocrate / Stefani, Giovanni. In
Hippocratis Coi libellum De virginum
morbis commentarius Ioannis
Stephani medici, atq; philosophi
bellunensis et cenetae nobilis civis.
Accessere medico-philosophica
epistolia, carmina, sententia de
vesicantibus, & medica consilia ...**

*Venetiis : apud Marcum Antonium Brogiollum, 1635.
Cote : 05848x02*

I N
HIPPOCRATIS
C O I
LIBELLVM DE VIRGINVM
M O R B I S

Commentarius

IOANNIS STEPHANI
MEDICI, ATQ; PHILOSOPHI
BELLVNENSIS

ET CENETAE NOBILIS CIVIS.


ACCESSERE MEDICO-PHILOSOPHICA
Epistolia, Carmina, Sententia de Veficantibus,
& Medica consilia.


SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIIS.



V E N E T I I S. M D C X X X V.

APVD MARCV M ANTONIV M BROGIOLLVM.





MO MO

AMPLISS. ATQ; SAPIENTISS.
 SENATORI DONATO MAVROCENO
 IOANNES STEPHANVS FOELICITATEM.



SOLEBAT Prisca illa vetustas, amplissime Senator, morbis implicitos homines passim exponere, uti praterentium consilijs informati auxiliaria praesidia ad bonam, citamq; veletudinem sibi compararent. Quin praclarus ille, & natura amulus Apelles labores suos, picturatas scilicet tabellas coram erigebat aspiciendas, ut liberè a singulis minùs artificialiter ducta lineamenta notarentur, ita enim fiebat, ut ille post tabulam delitescens, mendas, si qua suberant, edoctus expungeret. Ceterum ut hominum varia sunt ingenia, ita & sententiae, proin plurimi eam consuetudinem respuentes in contrariam sententiam abierunt, & praestare existimarunt, si illi ad spectata, probataq; doctrinae Medicum laborantes detulissent, eiusq; fidei credidissent, hic verò si expressas imagines, & iconculas oculatissimo, & perito Zographo proposuisset. Non is sum ego, qui iudicium ferre possim, utra sit potior harum opinionum, quaeq; alteri praepondeat, proinde in emittendis Commentarijs super Hippocratem labores meos ob oculos singulorum exponere decreui, simulq; tibi amplissimo, & sapientissimo Senatori iudicandos offerre, atq; dicare: Ita enim fiet, ut singulorum aciem non effugiant, & ad praestantissimum

a 2 virum

virum appellant, cuius iudicium instar erit omnium: Quare si mea tibi probentur elucubrationes, non erit amplius, cui improbetur, nisi insipienti, aut indocto. Cape igitur equo animo, Senator sapientissime, Commentarios meos in Hippocratis Libellum de Virginitate Morbis, tui enim est iuris, & officij virgines tueri, qui morum sanctitate, & candore præstas, qui illibatam ab ineunte ætate vitam vixisti, qui pupillare pubertatem pio, mirificoq; affectu protegere visus es.

Tua porro est doctrinæ sentire, quantum ipsi nos promouimus, & ad Authoris mentem scribendo accesserimus, tu enim Regio generi doctrinam adeo deuinxisti, ut nesciam, an te gentilitas, an potius sapientia nobiliorem reddat. Quibus meritis Respublica excitata præcipuis te cumulauit honoribus, dum te Græcia Ducem præfecit, in Patria Censorem, legum Seruatorem, vniuersæ ditionis syndicum constituit, & maximarum rerum ministerijs ditauit. Fælicem Remp. cuius munimenta, & turres sunt sapientum virorum sapientia consilia.

, O mihi postremæ tantum dent Numina vitæ,
 , Aspiciam ut partos fusa ditione triumphos,
 , Immanemq; hostem victum, longèq; fugatum
 , Maumethem se Caucasæis includere portis,
 , At Pacem viridi redimitam tempora oliua
 , Ire per Europam magnam, atq; inuisere terras,
 , Quam pia Religio, & iunctis Concordia dextris
 , Et probitas, & amor recti comitentur euntem.

Fælicem, inquam, Remp. cui præsunt sapientia, & probitas, quibus tu amplissime Senator in primis excelles, & anteis, atq; regere, & ceteris imperare didicisti. Utinam fata te nobis diutissime seruent literatorum Mæcenatem, & Venetæ Reip. ornamentum.

PRÆ-

PRÆFATIO



Antea est in tractandis muliebribus morbis difficultas, tanta est eorum obscuritas, atq; perniciēs, vt iure Hipp. diuinum auxilium implorandum esse dixerit, enimverò cum si affectuum cognitionem, tum si eorundem curationem spectes, vndiq; se se offerunt angustiae. Quare non est mirum, si vulgus eò dementię tandem peruenerit, vt simul atq; viderit, feminam desipere, aut diris symptomatis torqueri, in veneficia, aut in dæmoniacam vim referat. Nec desunt, qui stupida credulitati præbia, & antipharmaca ad soluenda indigitamenta promittant, quorum sollicitudo, & diligens cura eò collimat, vt muliercularum loculos exhauriant.

Quamobrem operæpretium me facturum putavi, si ex Hipp. Medicorum principe conficerem, atq; demonstrarem, ijs malis, quæ foemineum sexum exercent, nihil diuinius, quàm reliquis, inesse. Nec putet interim aliquis, me magnum aliquod de me spectari velle, nam tamen aliqua in æditionibus nostris sunt, in quibus si non frugem, saltem rudimentum ingenij, & igniculos quosdam agnoscas, non tamen adeò Suffenus sim, qui mihi summam, vt doctis probatum iri hæc credam. Quis enim hæc profiteri, aut præferre hoc debeat nisi doctus? Porro nihil tam amplis munitum bonis est, quàm nomen docti.

Qui se doctū credit, inquit Hermolaus, non potest non indoctus esse, qui nō videt quanta, & quàm multa nesciat, quod qui ignorat, nec illa ipsa scit, quæ tenet. An gubernator in naui potest medio pelago, & densissimis tenebris intelligere quantum nauigauerit, si non constet quantum itineris super sit?

Nec tamen deterreri plus iusto par est, erit aliquid versari inter doctos etiam indoctum, nam & inter Cellas Apum sua fucis loculamenta sunt, quorum etiam vsus apiarijs constat.

Proximum iam est, vt nostri styli rationem in medium afferamus, neq; enim desunt, qui epichiremata a Platone, & Arist. decerpta respuant, & in Hippocrate Hippocratica duntaxat apophiegmata

phlegmata desiderent, neq; patiantur aliquid etherogenes interijci. Non desunt, qui scribendi ornamenta exprobrant, expoluntq; nudamq; veritatem quærunt nullo ornatu excultam. Quorum illi, vt nimium delicatuli, ita importunè queruntur, etenim tanta affinitate tenentur physica, & Medica facultas, vt huic illa contemplationis primordia mutuò tradat.

Cur igitur in scopulis ad Platonem, & Arist. non appellam, quorum autoritate munitus titubantem sententiam confirmem? Hos autem vt nec reijcio, ita neq; planè probo, non enim minus peccat, qui desiderat in Philosopho oratoriam locutionem, quàm qui in oratore Philosophorum acribiam, quia Medicus Philosophus, est interpret veritatis, candor autem veritatis postulat, vt oratione tractetur simplici, ne videatur Doctor plus habere loquentia, quàm sapientiæ. Quamobrem vt Asclepiadon olim eleganter pingebat sine coloribus, ita veritas exponi debet nullo fuce exornata. Aduertendum tamen dum Academica verborum maiestas negligitur, & affectata Stoicorum locutio euitatur, ne in Epicuri barbaram, & aridam nimis elocutionem incidamus, sed medium dicendi genus obseruandum, quale hactenus, ni fallit animus, secuti sumus.

Verum dicentem, atq; obijcientem audire mihi videor. Heus o bone siccine rem agis, siccine eluis, & eludis obiecta?

An nescis, te identidem sambucam aptasse cothurno, modosq; ceu teretissima grauissimis intermiscuisse sententijs? Verum norint isti Catones, hoc olim Platoni, Arist. & Galeno fuisse familiare, quibus a philosophica dignitate alienum non est visum iucundiores Musas seuerioribus interseuisse.

In epist. At vereor, vt illud Hippocratis verissimum, quod nempe excellentia mali opinionem de se præbet, propter iudicantium im- peritiam, vnusquisq; enim ex his, quæ ipse non habet iudicat, id, quod in alio abundat, superfluum esse sic sanè etiam timidus fortitudinem immodestiam putat.

At morus sim, si feriatos istos homines morer Dodonæo ære obstrepentiores, quibus nihil prius, aut magis in votis est, quàm obuium quoddq; impetere, & Theonino dente proscindere. Quam mox affulgebit Hyena, cuius vmbra efficiet, vt Cynicos inceptus clamor frustretur hiantes.

Virg. Verum vt prauis stomachi scitamenta, & mensæ delicias auersantur, quibusdam nares graui, fatuoq; odore delectantur; ita deterrima ingenia similibus captantur.

Si non

Si non demigrant anima diuine Ioannes
 O Stephane, haud vno corpore forma triplex.
 Qui formam excelsi Hippocratis, clariq; Galeni,
 Vatis & Andini, cum Ciceronis habes?
 Quas illos docuere, omnes Meditrina, Thalia,
 Et quas Mercurius, pectore claudis opes.
 Vt clarum Cous patria decus, optima lampas,
 Cygnus & Andinus, cum Cicerone micant.
 Sic tu Bellune genti celebrande Ioannes,
 Gratia: laurus: honos: gloria: fama: decus.

Benedicti Lauzeri Lusitani

Theologi praclarissimi.

Olim Rect. Sem. Cen.

A D



A D

COMMENTARIOS IOANNIS STEPHANI

DE VIRGINVM MORBIS

EPIGRAMMA.

PEREGRINI PICTORII MVTINENSIS

MEDICI, ET PHILOSOPHI.

Cedite Virgineo cuncti de corpore morbi,
 Nil decet impurum membra pudica pati.
 Claris en Stephanus verbis exponere tentat
 Hippocratis mentem, dictaq; docta viri:
 Jamq; nouam medica componens arte medelam
 Oppressis apto tempore præstat opem.
 Cedite, quiq; diu tenuistis membra benignis
 Victi præsidij accelerate fugam.
 Pungentes spinas indignum est semper habere
 Innocuos flores, purpureasq; rosas.

TRADOTTIONE DELL'EPIGRAMMA

DI PELLEGRINO INGEGNO.

Vscite fuor de Virginali chiosfri
 Mali, ch' à voi di tormentar non lice
 Le caste membra, che toccar disdice,
 A' chi impuro quà giù sempre si mostri.
 Ecco ch' il gran Giouanni à i tempi nostri
 Nouello Orfeo l'Alma bell' Euridice
 Rimena al Mondo, e l'immortal fenice
 Manifesta di sò trà mille mostri.
 Già nouo Pergamen rinoua l'arte
 E' dona oppresso altrui cortese aita,
 Siche fuggie ò mali in altra parte.
 Ne tra le spine ogn' hor la rosa inuita
 Giace, ne gl'altri fior sempre diparte
 Sterpo crudel per insidiar la vita.




IN
HIPPOCRATIS
 COI
 LIBELLVM DE VIRGINVM
 MORBIS

Commentarius

IOANNIS STEPHANI

Mèdici, atq; Philosophi.



VNUM Hominem esse nexum Dei, & Mundi, Hermes ipse Philosophorum Pateriam longè testatus est, quòd diuino intellectu sit præditus, per quem supra mundanam hanc molem cogitatione aliquando adeò effertur, prouehiturq; vt eius conceptiones, animiq; motus mundana hæc materies obsequiosa sequatur, hoc autem heroicis duntaxat animis accidere consuevit, qui a corporis contagione liberiores, & materiæ quisquilijs minùs delibuti sunt, vt miranda prorsus, & quæ naturæ vires excedant perpetrare videantur; Hinc homo ad Dei imaginem factus esse

A dicitur.

1. *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

In Epist. ad
Damag-
tum.

dicitur. Quod si corporis imperfectionem spectes, nil abiecius, nil calamitosius homine, qui lutulentus adhuc, & humore materno diffuens futurae vitae praefagire videtur mala, cum a vagitu prima ducit initia. Hinc illae vituperationes, nil homine tellus alit infoelicius; hominis vita mors, finisq; ab origine pendet, cui praestat non nasci, aut quam ocyssimè aboleri, enim verò, ut ait senex ipse, totus homo ex natiuitate morbus est: dum educatur, inutilis, ineptusq; alienum implorat auxilium: dum crescit, inolefcitq; proteruus, insipiens, paedagogo opus habens, dum viget, florescitq; aetas, animum audax petulantia turpat, atqui dum decrescit, roburq; exhauritur, miserabilis, ubi labores suos recolit, & iactat, ex maternis enim vteri inquinamenti prodijt; Quarum calamitatum luculentissimum exemplar exprimit libellus *περί τῶν παρθένων* h. e. de his, quæ Virginibus accidunt, in quo foemineæ potissimum pubertatis deploranda, & miserrima mala graphicè appinguntur, quæ ad retundendam muliebris petulantiae philautiam apprimè faciunt. Verùm enim verò cum nil fiat, ut ait Timæus, cuius ortum legitima caussa, & ratio non præcurrat, huiusce libelli quatuor, ut fieri solet, caussae accensentur, finalis scilicet, quò primò tenditur, efficiens, formalis, & materiata, quæ subiectum quoq; in scholis perhibetur. Subiectum igitur sunt ipsa virginalia, circa quæ præcipuè Authoris mens, & dissertatio diuersatur, quod vel ipse titulus indicat. Finalis, quæ & utilitas libri appellatur, pathematum, quæ Virginibus, (quo nomine cum foeminas, tum mares audit Hipp.) accidunt, cautio est, atque curatio. Efficiens procul dubio fuit Magnus Hipp. (quidquid alij senserint) natus primo octogesima olympiadis anno sub Abriadae Monarchia, Agriagni Mensis septima & vigesima die, qui parentis sui Heraclidæ, deinde Herodici auditor fuit. Vixit apud Perdiccam Macedonum Regem, floruit temporibus Peloponnesiacis, Democritum coluit Philosophum, ad quem curandum Abderam profectus est (putabatur enim præ sapientia apud stultos insanire) liberos suscepit Theffalum, atq; Draconem: E vita decessit quartum supra centesimum annum agens. Præter superiorem alios quinque commemorat Suidas eiusdem nominis, & familiae, qui huc non spectant. Cæterum formalis caussa duplici discrimine distribuitur, tractandi videlicet, & tractatus. Forma tractandi ex methodo, agendiq; modo elicitur, qui aut compositiuus, aut analyticus est, huc enim reliqui referuntur

his

his ancillantes, ut egregij, & omnigena virtute ornatissimi senes
Sanctorius Sanctorio *παιδοδαν.* ut de Democrito dicebant veteres,
 & *Vallerius Martinus* doctè sanè, ac scitè notarunt, si modò me-
 thodus processus est demonstratiuus, qui a causis ad effectus pro-
 greditur, aut certè ab effectis ad causas. Hic Author diuidendo
 progredi videtur a causis ad effecta.

Atqui tractatus ratio, & forma in ipsa libri in suas particulas
 distinctione & diuortio consistit. Primò itaq; singulorum mor-
 borum naturam perdiscendam esse ostendit Hipp. quod fieri
 non potest, ni in genere, & vniuersim priùs dignoris. Dein mu-
 lierum naturam quibusdam morbis magis esse opportunam,
 quàm viri, quo tempore menstrua appellant, (nam & viri, si cre-
 dimus *Themistio*, sua menstrua patiuntur) modumq; docet, quo
 ingenerantur, & ingruunt, & quam differentiam affectuum pa-
 riat affecta particula conditio, quæ singulos morbos Sympto-
 mata excipiant: Postremùm, quæ cautio, curatioq; sit adhi-
 benda præmonstrat hinc sermonem auspicatus.

At verò quoniam eum, qui hæc rectè tractare, discutereq; ve-
 lit, inquit Hipp. oportet ex Dijs ordiri, dein mulierum naturas
 dignoscere, itemq; ætates, & tempora, & locos, in quibus de-
 gunt age in primis inuocemus secundum legem Deorum Deum,
 ut ait *Plato*. ut rebus ritè litatis sermo vim, gratiamq; delibet,
 Panacea efficacitatem.

Da Pater omnipotens, nutu qui cuncta gubernas,

Da facilem cursum, atq; audacibus annue coeptis,

Ignarumq; viæ casus miseratus iniquos

Dirige me, & iam nunc votis adfuesce vocari.

Principium sit mihi compositionis eorum, quæ perpetua sunt in arte
 Medica, non enim possibile est morborum naturam cognoscere (si qui-
 dem artis est inuenire) nisi quis nouerit naturam in diuisibili, ex qua
 in principio secreta sunt.

Quum in cognitione expressa, & distincta, quæ disciplinis
 conducit, ab vniuersalissimis ad minùs vniuersalia sit per-
 gendum, quoniam in rerum natura nihil actu, explicatèq; digno-
 sci potest, nisi ubi vniuersa tenentur, atq; pernoſcuntur, quæ ad
 eius essentia rationem conueniunt, quando secundum naturam
 generalitas, ut ait *Themistius*, specialitatem antecedit, & præ-
 currit, hinc factum est, ut ab vniuersalibus conceptibus in expli-

A 2 candis

Lib. de In-
 somn. Cap. x.

Lib. de nat.
 Anul.

In Timæo.

Tex. 4.
 P. Phys.

4 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

candis Virginum affectibus, auspiciū ducendum esse ratus sit omnifarius Hipp. qui profectō sunt perpetuæ veritatis, recte enim a Philosophis proditum fuit æternorum duntaxat scientiam haberi, atq; ab ipso vniuersali veluti e scaturigine emanare. (tamen si confusa, quæq; sine habitu comparatur cognitio, a singularibus ortum ducit, vt in inductione ad principia cernere est, qua mente omnem doctrinam ex præcurrente sensuum cognitione conquiri, & nil in intellectu consistere, quin prius sensus occuparit, præclare scriptum est). Verum quænam sunt perpetua, & vniuersi in Arte Medica, quæ subiecti causa innumeris videtur obnoxia fallacijs? Præcepta, inquam, catholica, ipsaq; methodus. Quamquam enim Medica facultas ratione cōmuniissimi finis sit ars, vtpote quæ opus ipsum respicit, nempe sanitatem, multis tamen theorematibus constat, quæ per se sola scientia continentur. Quare scitè me hercle quidam Auic. secuti totam Medicinam scientiam esse in animum induxerunt, atq; accessionem, auctariumq; veluti esse, aliquid artis obtinere; id quod vel ipse Alex. censuit, ipsa enim per se primò quod inconcussum est, tenet, cūlumenq; immobile prestat, ceterum materiæ composa dignitate declinat: Atqui accidentiam illam respicere nihil attinet, etenim quæ Medicus opus aliquod admoliri, atq; propetrare obnititur, Medicinam ad singularia contrahit, perstringitq; & quemadmodum hæc de singulis non edisserit, sed in vniuersum de homine, ita Medicus, dum aliquid admolitur, atq; pertentat, haud hominem circūspicit, aut quærit, at singulos singillatim. Vnde conficitur, colligiturq; Artis finem veritatem esse, Artificis sanitatem, ex quo etiam quantum inter scientiam & peritiā interfit, palam fit, namq; licet vtrq; mentis habitus sit, atq; perfectio, scientia tamen est vniuersaliū, peritiā singulorum. Illa profectō ab vniuersalibus progressa ad singularia pergit, hæc verò singularis ad singularia sibi analogia tendit. Iure igitur Hipp. quæcūq; Philosophiæ insunt, eadem & Medicinæ inesse asseruit, qui praxim ad decus, & ornamentum conducere iudicauit; & recte sanè, quum sola naturæ cognitio, contemplatioq; ignaua ac iners, & prorsus manca sit, si nulla comitetur administratio rerum, nec sit ad hominum commoda, societatemq; tuendam comparata. Quare Medicina etiamnum actiua agit de vniuersalibus, quemadmodum & scientia, atq; non eodem modo, quod per naturam praxis vniuersalia tractat ad singula per Medici industriam accommodata, neq;

id porro

P. Poster.
3. De Ani-
ma.

Artis regula
in se vera
sunt, quæ
tamen si
applicentur
ad mate-
riam inter-
dum sunt
falsa.

Mercatus.

Lib. de De-
genis ornatu.

Tullius.

id porro absolutè, sed prout vniuersalia sunt canones, qui dirigunt opera, ad quæ medentis consilium collineat. Facebant igitur posthac amusi, apud quos sanctum, & venerabile nomen Medicorum sordet, quos sapiens antiquitas secundum Deum humani generis seruatores, vitæ moderatores, morborum vindices, Alexicacos, Isotheos, seu Deo æquales, ac penè terrestria numina, Deosq; tutelares appellabat, ac magnis diuinisq; honoribus afficiebat; Vnde Hipp. Medicus Philosophus similis est Deo. Omnes homines, inquit Democritus, artem Medicam nosse oportet, o Hipp. est enim res honesta, ac vtilis simul ad vitam, & ex ijs maximè eos, qui eruditionis, ac eloquentiæ cognitionem habent: Nam sapientiæ cognitionem Medicinæ sororem, ac contubernalem esse puto. Sapientia enim animum ab adfectibus liberat, Medicina autè morbos a corporibus aufert. Quid plura?

Rex Anius, Rex idem hominum, Phabiq; sacerdos.

Sed ad rem. Plato Medicinam inter artes stocasticas h. e. coniecturales reposuit, cui adscripsit Galenus modò remedij quantitate, modò agendi occasione, modò affectuum ignorantia artem coniecturalem effici asseuerans. Hinc dicebat Hipp. Medicus qui potest dignoscere, potest curare. Sed, ne te diutius morer, vterq; Medici opus, non artem respexit, quæ per se spectata inconcussa stabilitate lætatur. Propterea ipse Pergamenus, non ex præceptis, ait, sed ex medentium opera coniecturalis est Medicina, & reuera diuerso se habent modo scripta, & opera, vt ad Glauconem scribitur. Neque enim morborum naturam est possibile cognoscere, nisi quis nouerit naturam in diuisibili. &c. Ad consilij sui firmitatem, & robur subiicit, fieri non posse, vt singulorum morborum naturam h. e. speciem, vltimamq; differentiam quis intelligat, ni eam prius in diuisibili h. e. in genere prænorit. Qui verò græcam dictionem, *ἀσπες*, indiuisile interpretantur, vt se verba percepisse præferunt, ita rem neglexisse videntur, dum arbitrantur Hipp. retrogrado ordine a singulis formis ad summum genus peruenire velle, vt cognitionem morborum repetat velut ab ouo, principioq; nam generis essentia in omnibus per diuisionem acceptis integra manet, & indiuisa in quolibet, potestas autem diuiditur, & secundum aliquid eius est in vno diuidentium, inquit Albertus, & secundum aliud in alio, & secundum totum in nullo, quare cum generis essentia simplex sit, tota in omnibus simul esse potest diuidentibus, secundum tamen potestatem secatur atq; diuiditur. Hinc colligitur, & diuisibile,

*Lib. de Ek-
gane.*

*In Theoz.
Ad Glauc.
In arte P. I.
de med. 5. lo-
ca.
Lib. de Arte.*

*Lib. de Opri
festa.*

*Cap. de Pra-
dic.*

6 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

diuisibile, & indiuisibile dici posse genus, diuersa ratione, id
 Cap. 1. quod græca dictio porro significat; Quare falluntur, qui Arist. 2.
 de Anima adducunt, ubi *ἀτομὰς ἴσος* quum dixit, speciem infi-
 mam intellexit, sic & nostrum Authorem hoc loco per *τὴν αἰσθητήν*
 eandem speciem notasse rentur, nam si res penitus inspicatur
 Notatur
 Mauricius
 C. P. 1. 1. 1. multis interuallis dissident hæ voculæ. In qua re a nobis prorsus
 esse videtur Caluus, qui e græco sic transtulit *Nisi totum prima*
cognoscat, de quo particularia descendunt discretæ sunt. &c. Parti-
 cularium enim notitia ex vniuersalibus colligitur, vt a Philoso-
 pho sæpius repetitum fuit, & ars ipsa vniuersalium est theorema-
 tum, cum singularia nec scribi nec doceri possint, hinc Philoso-
 phus nulla, inquit, Ars particularia considerat, quia sunt infinita,
 P. Rhet. atq; adeo ignobilia, & anapodicta, & licet ab eodem scriba-
 6. Eth. 5. 8. tur de singulari quopiam scientiam practicam teneri posse, quum
 scientiæ practicæ versentur circa ea, quæ a nobis fiunt, quæ sin-
 gularia sunt, attamen in confesso est, atq; comperitum, scientias
 practicas quatenus alicuius rei cognitionem tradunt versari circa
 2. Post. vniuersalia; Hinc Arist. Non enim, inquit, quæ salubria sint
 1. 2. huic oculo, docet Medicus sed oculo in communi. Quod mani-
 festo spectasse videtur Hipp. quum subdidit (*siquidem artis est*
inuenire). Sed quis obijciat Arist. asserentem ex multis experi-
 mentalibus conceptibus vnā de similibus opinionem fieri, atq;
 vt ait Polus, artem conflare.

Per varios vsus artem experientia fecit.

Quare, vt constat, ex particularibus colligitur vniuersale, cum
 experimentum sit phantasma memoriæ inhaerens eius rei, quæ
 2. Post. identidem, simillimq; modo sensus, animumq; perculit. At
 verò quando in ipsum Philosophum offendimus, iustum est, vt
 posteriora sequentes responsum vestigemus. Inquit igitur:
 In Proxim. opinari enim, quod Calliæ hoc morbo laboranti hoc condu-
 Met., xit, similiterq; Socrati, ac sigillatim alijs multis experientiæ,
 quod autem omnibus huiusmodi secundum vnā speciem de-
 terminatis hoc morbo laborantibus conduxit, vt pote phleg-
 maticis, aut cholericis, aut æstu febricitantibus hoc artis pro-
 prium est. Ad agendum igitur nil videtur experientia ab arte
 differre: Quinimo videmus expertos magis id, quod inten-
 dunt consequi, quàm illos, qui rationem abiq; experientia re-
 nent. Causa verò est, quod experientia singularium, Ars verò
 vniuersalium cognitio est: Actiones autem, & generationes
 omnes circa singulare sunt, non enim hominem nisi per acci-
 dens

uens sanat, qui medetur, sed Calliam, aut Socratem, aut alium
quempiam. Si quis itaq; rationem absq; experientia teneat, &
vniuersale quidem cognoscat, quod autem particulare est sub
eo, ignoret, sæpenumero errabit a sanando. Id enim magis
sanabile est, quod est singulare. Nihilominus scire, ac cogno-
scere magis arti, quam experientiæ arbitramur inesse, ac eos,
qui artem tenent, quam eos, qui experientiam habent sapien-
tiores esse putamus, eo quod sapientia per scientiam omnes
magis sequitur, hoc autem, quoniam illi quidem sciunt quod
est, propter quod autem nesciunt, illi autem propter quid, &
causam cognoscunt.

Sed enim duplices sunt scientiæ, vna a posteriore (vtor phi-
losophicæ militiæ castrensibus vocabulis), *Quia*, nuncupa-
tur, quæ duntaxat hoc ita esse demonstrat, quæ per solam ex-
perientiam gignitur ex effectibus experimento perceptis hu-
iusmodi esse rem, vel tali proprietate pollere colligens, quæ
constituendis artibus confert; Hoc tamen alta mente tenen-
dum, experientiam instrumentum esse intellectus scientias
rimantis, neutiquam verò earundem efficientem causam, cum
sola mens hominis sit huiusmodi. Altera dicitur (*Propter Quid*)
de qua hæcenus locutus est Philosophus probans expertis longè
præferri Artifices. Vtraq; in arte Medica desideratur: Hinc di-
cebat Galenus, Artifex peritus euadet, si vniuersalibus theore-
matis singulorum experimenta addiderit. Sed omnium præcla-
rissimè Hipp. quorum, ait, natura coniuncta est, eorum quoq;
cognitio coniuncta esse debet, at ratio, & experientia naturas
habent coniunctas, quia ratiocinatio est recordatio quædam
componens ea, quæ sub sensibus percepta sunt, ergo ratiocinatio,
& experientia simul iunctæ esse debent, mutualq; sibi operas tra-
dere ad veritatem cognoscendam, & exercendam. Sunt tamen
qui experientiæ in physicis multò magis tribuant, quàm apodie-
ticæ doctrinæ. Vt autem experimentum fiat, duo conueniunt,
materiale vnum, alterum formale. Materiale sunt species reten-
te in memoria, formale autem est illarum specierum collatio,
quæ plurius est, quàm species. Hæcenus igitur probatum sit,
morborum notitiam in genere prius habendam, quàm singulo-
rum, quorum tamen notitia medentibus necessaria est, vt pro-
pria eliciantur indicationes. Nos autem nimis longum fecimus,
vt anamphibolas & facilia Authoris præcepta redderemus.

*Primum de morbo sacro appellato, de attonitis, siue syderatis, &
de timo-*

*Lib. de Præ-
ceptis.*

8 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

de timoribus, ex quibus adeo fortiter timent homines, ut delirent, & Demones quosdam se videre putent ipsis infestos, quandoq; noctu, quandoq; interdum, aliquando vero utroq; tempore. Postea ab huiusmodi spectris multi iam se strangulauerunt, plures autem mulieres, quam viri, etenim muliebris natura animi est magis deiecta, atq; minuti. &c.

Hipp. lib. de Arte.

Paracelsus.

Lib. 3. f. 21. r. 3. c. 16.

Aetius ser. xvi. ait Atq; hic morbus ubi innadere assuenerit somnialis modo diuturnus, & per circuitum repetens efficitur.

Posterioribus cerebri Ventriculos aduersus quosdam obstruit contendit

Altimarius.

Fernelius.

Mercatus.

Quoniam igitur generatim prius agendum est, quosdam in medium affert Hipp. affectus, quibuscum Morbi Virginum, quandam affinitatem habere videntur, ut iisdem recte, & in vniuersum cognitis, qui speciem, & similitudinem horum gerunt, sedulo internoscantur, periti enim Artificis est similitum differentias, & differentium similitudines cognoscere. Quantam vero habeant cognationem hystericae passiones, quae modo aphoniam, modo aphnam sexcentis stipatam symptomatis, modo deliramenta multigena producant, atq; adeo quantum cum morbo sacro, attonito, & Melancholijs conueniant, quibus lauriger Apollinea vel leuiter informatus arte dignoritur, quum epileptico more repetant, & sepe in eadem deficiant. Quare non defuerunt, qui vteri suffocationem, syncopen, tremorem, cordis palitationem, vertiginem, ecstasim epileptici morbi species constituerint. Hinc Auic. Hec aegritudo inquit similis est epilepsiae, & syncope, & paulo inferius. Et accidit ei sicut epilepsia. Et interpositis aliquot lineis subdit. Differentia autem inter ipsam, & Apoplexiam est manifestior, & quomodo non? Quum sensus destruantur in ea ut plurimum integre, & non sit gemitus. Quae cum a Rhasio, & Mesuigo penitus asserantur, non est, cur aetum agam.

Morbus itaq; sacer, Graecis Epilepsia, quod sensus omnes, mentemq; repenteprehendat, est totius corporis frequens distentio, qua homo e vestigio procidit, sensuum omnium, mentisq; munijs interceptis, ut nec audiat, nec videat, nec vlla principum, quas Graeci egemonicas appellant, functionum appareat. Concussione ex ore spuma profilit, & solutis musculis vel lotium, aluinæve feces, vel foetificus lentor praeter voluntatem effunditur. Causa mali creditur humoris pituitosi, vel melancholici ingens copia, quae repente cerebri ventriculos, meatusq; replens id agit, ut homo animali spiritu cohibito corruat. Haec tamen non aflatum spirituum ductus obstruit, sed nonnihil etiam praeterfluit, quo cerebrum concussione adnititur quidquid noxium est discutere. Caeterum praeter humoris copiam sunt, qui venenata, & cerebri substantiae grauiter insensam qualitatem huc appellant.

appellant. Sunt, qui ventriculorum cerebri figuratam prauitatem causantur. Sunt, qui proximam causam statuunt expultricis facultatis in membranis cerebri a materia tenui, & acri, & qualitate occulta neruoso generi inimica irritamentum. Præcæteris non est ferenda Quercetani futilis opinio, qui aduersus Medicinæ coryphæos ausus est scribere, in quibusdam Epilepticis inoffenso cerebro primò cor ipsum affici, quòd cor palpitatione, & animi deliquijs corripiatur, quòd phantasia, & memoria integra maneant. Non est, inquam, ferenda, quum sensuum instrumenta sint in capite, quibus animales functiones exercentur, manifestæq; sunt. Neq; inficias tamen imus, quin in Epilepsijs per sympathiam præsertim ab vtero cor primò, subinde cerebrum coafficiatur, quod vel ipse pulsus indicat. Verùm quis credat, nullum ex vaporibus sacrum morbum excire posse, ni sit chalcantinæ naturæ; quod homo cæteris sapientior obtrudit credulis. Mirum, cur Augurdenfes, apud quos chalcanti mira copia suppetit, dum illud e fodinis eruunt, epilepsijs non corripiantur. Sed nos, qui interpretis munus sustinemus, extra cancellos egit aliena curiositas.

Vnio, & Hippomanes, corallia, mixta resoluunt.

Morbis attonitus, siue syderatio Græcis Apoplexis, seu Apoplexia est repentina motus, & sensus, vniuersæq; animalis functionis cessatio: Hac quippe percussus nullis ferè mali indicijs præcurrentibus totus repentè quasi attonitus concidit, sine sensu, sine motu, sine mente, solo anhelitu a mortuo dissidens, qui paullo post difficilis euadit, & cum stertore grauissimo. Causa est crassior, frigidiorq; pituita affatim, & vniuersim cerebri ventriculos offerciens, aut dum minimum quiddam retis admirabilis arterias, per quas spiritus e corde in cerebri sinus influit, siue neruorum initium confestim obstruit, aut coarctat, & opprimit.

Neque huc admittenda frigida intemperies, quam quidam eo argumento adstruunt, quòd hæreditarius sit morbus Apoplexia, quod Hercules fieri non potest citra aliquam diathesim, cuius causa pars imbecillitatem contrahit, & simili morbo opportunior efficitur: Sed qui ad repentinam affectionis originem oculos direxerit, huiusmodi nullo negotio dissoluerit; potest quidem frigida intemperies excrementum congener congerere a quo affectio fiat, sed per se sola nequit; a qua sententia Hollerium recessisse miror, atq; iterum miror. Digni sunt

B huius

*Mercatus
Sennettus.*

Holl. affirmat fieri Apoplex. ex intemp. eaq; difficulter solui cap. de Apopl.

10 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

huius opinionis fautores cucurbita vertici admota, qua nullum præstantius ad Apoplexiam propulsandam reperit Fracastorius auxilium.

Timoris nomine melancholiam audiuit Hipp. hæc enim timoris parens est, quam Aretæus animi angorem vna in cogitatione defixum, atq; inhærentem absq; febre, & furore a phantasmate melancholico ortum, finit; Alij mentis alienationem, qua laborantes vel cogitant, vel loquuntur, vel etiam absurda gerunt, longeq; a ratione, & consilio abhorrentia, eaq; omnia cum morsus, & metu, quæ duo melancholiæ tecmoria censuit senex.

De l. Aff. Hinc Gal. timor, inquit, nunquam deserit melancholicos; Quod sanè contingit ipsa atra-bile ad sedem mentis appellente, ipsosq; spiritus inficiente, perinde enim atra-bile tentatis accidit, atq; in tenebris obambulantibus, ait Galenus, quem ipse Rhœis filius de more subfannat. Fracastorius verò solertissimus hanc comminiscitur causam, cur nempe melancholici sint formidolosi.

*Lib. 2. de
Intell.*

Hoc inquit, non accidit ea de causa, quam vulgares Medici opinantur, & proferunt, quod scilicet tenebras introissim habent, quia melancholici non decipiuntur in coloribus; Deinde subdit Non esse simile exemplum de externis tenebris, in his enim timor fit, ut noctu, quia species illa in se, & in coniunctis omnino ut ignota offertur, præsertim cum in coniunctis imaginatio fit, aliqua posse esse contraria, ut accidit in specie noctis; melancholici verò propter hanc causam non possunt terreri, quia nihil propter hoc recipiunt, ut omnino ignotum, a gumento sit, quod multi per solitudines, & noctes errabundi peruagantur: Causam itaq; in frigiditatem reijcit, quod senes, & mulieres, & Eunuchi demonstrant.

Cur verò delirent, eadem est, inquit, causa, quæ & in vino, & in febribus, quoniam maxime spiritus est melancholia, sicut & vinum, cui propterea ab Arist. confertur, comparaturq; utrumq; enim in quantacumq; quantitate multum habet crassa corpulentia, propterquam euaporatio, quæ inde fit, semper habet unde perseveret non superata, & hæc de causa vinum maxime inebriat, non item Aqua, & Lac, quia quod ex ijs euaporat aerem, & separabile. Igitur & melancholia ubi euaporans sedem mentis occupavit, aut Epilepsiam ciet, si multa sit, aut deliramenta, perturbatis spiritibus, & inquinatis, siquidem applicatio animæ in multis præpeditur, & coniunctorum plurima deperduntur, figure mutantur, & similitudines, & loca, & ordines, hinc nec rectè iudicant, nec rectè interrogant, neq; rectè respondent, sed de
vno

uno genere in aliud transcut: Inquieti præterea non mente solum, sed & corpore per continuam novorum oblationem, omnia enim ferè sub displicentiam recipiunt & loca, & personas, & actiones, quare ad noua vertuntur.

Componunt autem & quæ non sunt, quando propter celeritatem motionum apparentiam omnem recipiunt, apparent verò multa extranea vitiatæ similitudinibus, & figuris, & rerum ordine, & coniunctis: Suspiciosi præterea sunt propter timiditatem, & obliquum discursum.

Hactenus Fracastorius. Vnde colligitur, quàm benè sentiant, qui secius sentiunt.

Ex quibus adeò fortiter. &c.

Ex ijs timoribus aliquando adeò percelluntur languentium animi, vt delirent, & quod dicebat Ennius, timor omnem expectaret prudentiam, quod quidem potissimum contingit Virginibus ex seminis suppressione, notante Auicenna. Quidam viso in littore Nili Crocodilo vsq; adeò expauit, vt tota reliqua vita dextrum brachium, & alterum crus sibi exempta esse putarit. Proh nefas, quàm peruium est descipere. Hic animaduertere decet, melancholiam aliquando sine delirio hominem corripere, quod plurimi melioris notæ Doctores notarunt: Et reuera ita se res habet, si leuis, & primæua sit, nulli distorto, ridiculose Phantasmati addicta, quod quibusdam ad prodigium vsq; accidisse audiuius. Quare satis est, si moereat homo, facile obirascatur, si morosus sit, vt nihil illi sedeat, nihil arrideat, si quadam inconstantia iactetur.

Melancholici enim, vt docet Arist. varij sunt, & inæquales, prout vis melancholiæ varia est, cuius farinæ plurimos ego noui alioquin sapientissimos, verè enim a Philosopho melancholici ingeniosi & solertes dicuntur (si modò temperata sit melancholia, & bile perfusa) vsq; adeò cæteris sapientia præstant melancholici, vt quidam melancholiam supranaturalem posuerint, animalem potius, quàm naturalem, qua præditi entheastici nominantur.

Hoc enim sensu Plato videtur in Ione Vates, Prophetas, Sybillas, somniorum interpretes melancholicos appellasse. Phavorinus apud Gellium *Heroum pathos* nuncupat. Atq; vt vno verbo dicam, humor hic æthereus est, ita vt ex eo emergens spiritus cum supernis corporibus necessitudinem quandam contrahat, vt non sit mirum, si quot quot in aliqua arte excellere, vt testatur Arist. Melancholici fuerint, quid quid tandem commu-

B 2 nificatur

Amat. L.
cent. 4. Cur.
LIV.

Forestus
lib. x. obser.
x. x.
Arg. comm. 2.
Aphor.

Señ. 30.
Probl.

Riol.

Forestus
lib. x.

Probl. 1.
Señ. XXX.

12 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

Amatus sent. 3. cur. niscatur Petrus Apponus vir alioquin probatae, spectataeque doctrinae.

LXXXVI. Et Dæmonas quosdam. &c.

carpit Petri Apponum. Quod si ingrauescat timor, qui cum signum, tum causa atra-bilis esse solet, non modò delirium ciet, verum etiam Dæmonas obijcit, qui atra-bile percitos libentissimè adoriuntur, proin rectè Athanagoras, si cui appareat Dæmon, *νάκα*, inquit, illius mentem prius peruertit, quod sit commota ad cerebrum atra-bile. Huc spectauit & perniciosissimus Agryppa, quando ad magiæ ceremonialis sacra credulos duntaxat, ingenio simplices, & constantis silentij homunculos admisit, quales sunt melancholici.

Lib. 3. occult. Phil. c. XXXI.

In magnis, Inquit, mysterijs maxime possunt, firma credulitas, constant silentium, & ingenij simplicitas, quocirca pueris, & ex humiliori plebecula homuncionibus se præbet videndum Dæmon, audaces verò, & a timore alienos fugit, atque contremiscit.

Primus in orbe Deos fecit timor.

Lib. de form. Deos interpretantur Dæmonas *από τῶ δαιμονίων*, quod est timorem incutere, & sanè incredulis, & interitis nunquam apparent sacris quantumvis ritè peractis. Sed cur credentibus, & meticulosis sæpe obijcitur Dæmon? An quia huiusmodi atra-bile diffuunt? An quia mente minimè constant, quo fit, ut Lemures, & Laruas habeant pro Dæmonibus? An quia aliquo affectu implicitis leui similitudine facile est imponere, ut Philosphorum Coryphæo visum est? Verumtamen sciendum, quod quemadmodum est vnum summum bonum, a quo cætera suam bonitatem participant (*primum enim in aliquo genere est causa reliquorum*) & hoc est Deus Opt. Max. ita esse summum malum, quod natura duce refugimus, quodque nos quàm longissimè a summo illo bono abducit, quæ opposita Ægyptij Osirim, & Osomarim, Pythagorici vnum, duo, Manes lucem, & tenebras appellabant. Quamobrem ut summus ille rerum opifex intelligentes se incredibili afficit lætitia, & delectatione, quod vel ipse Philosophus fatetur, ita cacodæmon mœrore, molestijs, atque metu percellit, contrariorum enim contraria sunt consequentia. Quidam in spiritum imaginationi seruientem causam reiiciunt, qui dæmonis formam (qualem qualem tandem sibi quisque finxerit) imaginando exceperit, qua imbutus traicit ad oculos, sic enim fieri volunt, ut nullo præsentè obiecto videat, nam si visio nihil est aliud, quàm speciei in spiritu in chrystalloide perceptio, siue

lib. I. de par. An. c. v.

Card. lib. XIX. de sub.

sive species ab obrecto decidatur, seu non, quotiescumq; hoc contigerit, reuera videbit.

In timore, Inquit Fracastorius, admiranda etiam nū magis est causa, quia & sani mente visa videre putant, quæ non sunt, alij simulachra mortuorum, alij dæmones, alij inimicos, alij alia horrenda. Principium verò horum omnium est species formidilis rei, qualis imago noctis, & sepulchrorum, quæ qualibet vel leui occasione illata phantasiâ tam intensè mouet, ut apparentiam aliquam faciat actu, adeò ut veluti multas im- præsens accipiat, fixa enim omnis imaginatio speciem ita intendit, & diffundit, ut in oculis etiam sit, quamobrem ita representat, ac si extrorsum in oculos peruenisset, ad apparentiam enim faciendam nihil refert, utrum species, extrinsecus veniat ad oculum, an intrinsecus, omnino enim per naturam representat, quare ea videre se se putant, quorum imaginationem fecere.

Sed hætenus ista. Adiecit Author dæmonas maleuolos ad differentiam bonorum, etiam, qui apparentes non metum incutiunt, sed lætitiâ relinquunt.

Postea ab huiusmodi spectris. &c.

Eo dementiæ aliquando adiguntur homines, ut his spectris, & falsis imaginibus decepti usq; adeò animis consternantur, ut se suffocent, non quòd sibi laqueos imponant, ut quidam in animum induxerunt, sed naturali ratione, præ nimio enim metu sanguis ad præcordia confluens, ibiq; incuneatus, respirationisq; meatus offerciens strangulatu homines iugulat, quod non minus eleganter, quàm doctè ab Alex. exprimitur in Problematis, cum quærit, cur nonnulli metu extincti?

Respondetq; quoniam fugiens supra modum naturalis virtus, seq; in corpus intimum una cum sanguine recipiens insitum, viuificumq; calorem, eum, qui propter cor gignitur confertim suffocat, atq; extinguit, habet autem sanguis, qui est in corde proportionem ad lucernæ flammam. &c.

Sunt, qui in imaginationem referunt, quæ rerum virtutem, atq; valentiam habet: Sed cum ea immanentem possideat actum, id fieri tantum potest, ubi altera interuenit causa morigera, & eius imperio subdita.

Miram narrat historiâ Amatus cuiusdam Puelli formidine confecti, ad cuius exemplum plurima afferre possem, sed non est, cur longior sim.

Plures autem mulieres. &c.

Tametsi affectus, quorum meminimus, masculis, & foemellis communes,

Audietis sa-
pe aliquos,
inquit Mer-
curialis cap.
de imag. lib. 1
Pract. qui
dñ nocte am-
bulant, refe-
runt, se videre
multas ima-
gines, quod
non aliunde
perficitur
nisi quia ob
timorē ima-
ginationē ha-
bēt corruptā
unde putant
se videre qua
non vident,
& de hoc po-
teritis reddere
causā ut
medici ali-
quorum, qui
dicunt, se no-
ctē videre
dæmones, dico
ut medici,
quia secus
est loqui, ut
christiani.

Probl. xv.

Zimara
Probl. Lxxi.

Cent. 6.
chr xii

14 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

communes, esse constat, plures tamen scemina: id patiuntur. Sed cur, dices, muliebris natura hisce pathematis magis est obnoxia?

*Lib. 2. de
Gen. An. c. 6*

Respondet Hipp. id ideo accidere, quod animi est magis deiectioni, atque minuti mulier, quasi mollis aer dicta, id quod ob frigidiusculam temperiem accidit, nam ut calor animos, audaciamque indit, ita frigus deiecit, atque diminuit. Accedit, mulieres ut plurimum capite laborare, & pessime cogitare, quum solae cogitant, ut ait Mimius Publianus. Hinc Arist. sceminam priuationi comparauit.

Femine. Inquit, natura sunt debiliores, frigidiores, & sexus femininus quasi naturalis lesio, & detrimentum putridum est.

At subit mirari, cur Philosophus tam iniuriosus fuerit in muliebrem sexum, qui essentiae ratione peraeque perfectus videtur.

Ad haec rerum perfectionem ex fine repeti, in confesso est, quod vero a communissima natura intelligitur, id priuatae finis existit, atque scemina propagandae speciei studio viro iungitur, quare, sceminam ita efformari necessum fuit, ne Animalis procreatio frustra eat. Sed cur in his morer?

*Boetius lib.
de Cons. Phil.*

Omne humanum genus in terris

Simili surgit ab ortu.

Vnus enim rerum Pater est,

Vnus, qui cuncta ministrat.

Ille dedit Phaebo radios,

Dedit & cornua Lunae

Ille homines etiam terris,

Dedit & sidera Coelo.

Hic clausit membris animos

Celsa sede petitos

Mortales igitur cunctos

Edit nobile germen.

*An daemones
norit Hipp.*

Illud interim non est praetereundum, an reuera Hipp. Daemones admiserit (quod etsi parergon criticis videbitur, attamen ut Pictores ornandae tabellae studio saepe-numero Arbusculas, & Aulicas effingunt, ita mihi in praesentiarum licere impendio optarim, quum ad summas difficultates diluendas maxime faciat). Arist. sub Luna nil praestantius homine cognouisse videtur: In elementari mundo inquit nullum animal adhuc nouimus, quod sit diuinitatis particeps praeter hominem, cui sublunaria cuncta inseruiunt, ipse nulli, nisi forte homo homini: Nunquam

Daemonum

Dæmonum commemorat nisi in Metaphys. obiter, & exempli loco. In Phys. cum scribit somnia esse dæmonia, non diuina, quia natura est dæmonia, quoniam nullo numero homunculi, ut natura loquaces, & Melancholici, quibus varia visa obuerfantur, sæpe numero vaticinantur. Quod si aliquos esse credidisset, de illis proculdubio in Phys. aut Metaphys. libris differuisset, nec inane opus, & artem præcipua sui parte mutilam, & imperfectam reliquisset. Inter formas physicas nulla præstat humanæ. In Metaphys. præter Deum solæ quinquaginta quinque Intelligentiæ numerantur totidem orbium motrices. Sublunares spiritus, qui per aerem vagantur, muto silentio obruuntur, & quasi omnino non sint subticentur. Tantum abest, ut quid, qualesque sint, quibusque officiis deuoti, copiosè explicarit, ut physici, aut Metaphysici Doctoris officium requirebat. Aristoteli acriter resistunt Platonici, qui spirituum myriades constituunt, alios enim Igneos, alios Aereos, alios Aqueos, alios Terrenos faciunt, quos lucifugos, & tenebriones vocant. Præterea ex quatuor mundi plagis distinguunt in meridianos, & occiduos, septentrionales, & occidentales: Hos deinde diuidunt minutius in Prouinciales, & Urbanos, quos tutelares Deos appellant; Quin domibus quosdam præficiunt, quos Lares, & Penates nuncupant. Imò domuum certis partibus quosdam præesse volunt, quos Genios loci vocant, quibus Empusas adnumerant: Quosdam pala annuli includunt, quos Paredros vocant. Ecquis erit modus tandem? Cur stirpibus Dryades, & Hamadryades præficiuntur? Cur Fauni, & Satyri per sylvas vagantur? Quid sibi volunt Nymphæ, Nayades, Tritones, nisi aqueis animalibus suos esse Dæmones adiunctos existimarent? Eo tandem in distinguendis Dæmonibus Platoniorum peruenit superstitio, de illis recentiores tam ridicula commenti sunt, ut ipsis Philosophis hanc suspicionem iniecerint, dæmonis nomen esse vanum, cui nihil subest, ista larua Pueros dumtaxat, mulieres, & idiotas terri, non philosophos.

Siccine? At si sunt dæmonia, sunt & dæmones, ex effectis enim causæ colliguntur, atque plurima extant dæmonum opera. Quæ? Aliqua quæ supra naturæ ordinem eueniunt, ut oracula, futura prædicere, inaudito sermone loqui, & id genus alia. Putasne deesse quod Peripatetici respondeant. Priuatione, inquit, cognoscitur habitus, atque humoris melancholici euacuatione, tam critica, quam artificiali, ut eleborismo desinunt &

sinomus

peregrina

Lib. 5. Metaph. c. de sub.
Lib. de Diuin per somniæ.

16 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

peregrina dialecto loqui, & futura prædicere, ergo atrabilis erat cum inauditi sermonis, tum prædictionis origo. Si negatio est causa negationis, erit affirmatio affirmationis causa. Quod si a fumis atrabilarijs commota phantasia non modò inter dormiendum somnians, sed etiam vigilans cogitat, effutitq; admiranda, quid ni proferet voculas aliquot sermonis inauditi? Hæc *In Probl.* vi præditos fuisse Vates, ac Sybillas ratus est Arist. atrabilis causa, cuius e bullitione plurima, eaq; portentosa eveniunt.

Hinc Cicero. *Qui vitio valetudinis tenentur, (inquit), & melancholici dicuntur, habent aliquid in animis præfagiens, atq; diuinum.*

Quod plurimi iurati Peripatetici cōfitentur. Quamobrè si melancholici, quæ ventura sunt, prævident, poterunt inaudita loqui.

Oracula porrò fuisse meras Sacrificulorum imposturas, abundè monstrarunt alij. Quid quæris? Peripatetici

Somnia, terrores, miracula, Sagas

Nocturnos Lemures, portentaq; Thesfala risu.

Excipiunt.

Sed ne Platonici quidem defunt causæ, quibus huiusmodi effectus acceptos referant citrà quàm quòd ad Dæmonas confugiant: Nam si intellectus creatus ab æterno afferat secum infinitarum rerum notiones, quæ corporis gravitate sopitæ nouo rerum intuitu refricantur, si olim Heluetij alicuius, aut Teutonici corpus mens informarit (etenim si certus est, & definitus animorum numerus creatus ab æterno, & mundus etiam si habuerit originem, nunquam sit defecturus, necessum est, ut unus, & idem plura corpora informarit, animaritq; præteritorum recodatione poterit peregrino affari sermone sine Dæmonis auxilio.

Verùm missis Philosophis, quid ex animi sententia putasse Hipp. iudicandum est, qui Dæmonum sæpiuscule, & oraculorum meminit, & in morbis aliquid diuinum subesse confessus est, quinimo indigitamenta non semel innuit, quæ sanè Dæmoniacam vim arguunt? Equidem tantæ quæstionis non ausim me constituere arbitrum, qui scio nulli consulti, & presè de spiritibus egisse Hipp. sed obiter, & cunctanter duntaxat attigisse refellendo potius, quàm asserendo, propterea adiecit (*ut videre videantur*) quo modo & Arist. fecisse constat, qui Dæmonas non vno in loco anceps, & sententiæ dubius subolsit. Quid quid sit, nos qui Christianam religionem verè profitemur, age veritatis ergo Peripateticorum argumenta diluamus, quibus mirabiles effectus in atrabiliem referunt.

Sermonis

Sermonis igitur inauditi & peregrini prodigia exacta, eductaq; atra-bile definunt, quod humor iste veluti machinamentum est cacodæmonum, quo ad dementandum, & infatuandum utuntur, ut Aulic. etiam asseuerat. Quare summoto medio, & *Lib. 1. cap. de melanch.* instrumento ut patrare nequeunt sæua facinora, ita obsessos destituunt.

Finitæ enim substantiæ finita etiam necessario est potentia, quum ergo Dæmones substantia finitos esse constet, utique potentiam obtinebunt finitam, & determinatam: Definita autem est non uti nostra rebus naturalibus, sed rebus tantam non naturalibus, priuatione scilicet, & negatione, adeo ut ob negationem aliquid ex nihilo constare nequeant, ob priuationem quidvis ex quolibet committere non possint (materia enim ad effectum producendum nihil conferens nihili rationem subit) quare substantias facere haud valent neq; citra media, neq; mediorum coitu, atq; congressu, hoc enim naturæ proprium, illud omnipotentis Dei. Ad hæc neq; substantias destruere, demoliri queunt citra naturalium mediorum admissuram, quare si perturbanda hominum phantasia, si melancholica deliramenta excitanda sunt, atra-bile opus est, (ut Arabum Philosophorum, & Medicorum familiæ placet) quæ ad caput delata (corporea enim substantia spiritali penes localem motionem ad conditum auscultans est, & obsequens) multigena profert phantasmata, quare percipit aliquando futura dictante Dæmone prænunciant, & voces aliquot inauditi sermonis effutunt. Sciendum tamen reuera Dæmones futura non prænosce, sed ex coniecturis colligere. Esse in nostro corpore quasdam habitudines, & dispositiones, quas enixè, & anxie expetant dæmones, ut quam mox (permittente Deo) hominem adoriantur, & obsideant, ut illis prohibito fruantur, quibus permutatis, aut sublati e vestigio infatuata deserunt corpora præterquam quod sacra paginæ loquuntur, plurimi prophani Philosophi testantur.

Sed cur plures mulieres dæmoniacæ, quam viri? An quia propter corporis densitatem multijuga recrementorum vberitate scatent? An propter menstrui sanguinis fœculentiam, quæ fordidi, maligniq; spiritus non indelectantur? An propter maiorem credulitatem, & pauorem, sunt enim animi magis deiecti atq; minuti? An ita vulgo persuasum est, ut fœminas, ubi infuetis symptomatis vexari viderit, dæmoniacas suspicetur, cum tamen omnia suppressi sanguinis menstrui, aut polluti

C. seminis

18 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

feminis sint soboles? Sed, ne parergon opus ipsum superet, ad rem.

Ceterum Virgines nobiles, & matura viro hoc magis patiuntur und cum mensium descensu antea non valde hinc affecta. Postea enim sanguis in vteros confluit velut effluxurus. Quum igitur osculum exitus fuerit obstructum, sanguis autem amplius influxerit propter cibos, & corporis augmentum, tunc sanguis non habens effluxum præ multitudine resilit in cor, & septum transversum. &c.

In postremis
lib. de celo
& in meta-
phys.

Quamquam Arist. incredibili sapientia Pythagoricorum, & Platoniorum sententiam euicit, quantitatiq; nullam inesse efficaciam ostendit aliquid tamen latentis naturæ numeris quibusdam subesse, in quibus occultas vires explicans mirabiles gerit effectus, septenarius numerus facile demonstrat, in quo & generationes, & corruptiones plurimæ contingant: Qua causâ scriptit Philosophus, esse quasdam allioses naturales, quasdam non naturales, naturales vocat, quæ fiunt diebus diiudicantibus, vt septimo. Vnde Linus Poeta.

Lib. 5. Phys.

Septima cum venit lux, cuncta absolueræ cœpit.

Omnipotens Pater, atq; bonis est septima, & ipsa.

Est etiam rerum cunctarum septima origo.

Septima prima eadem perfecta, & septima septem.

Vnde etiam cœlum stellis errantibus aptum.

Voluitur, & cyclis totidem circum vndiq; fertur.

Plurimis septimo ætatis anno affectionibus nos esse oportunos, nemo est, qui expertus non sit, maximis autem, & manifestissimis secundo septenario implicari, afficiq; quo tempore mares ex ephebis excedere, & hircire incipiunt; Cuius rei rationem retulit Alexander in Problematis dicens.

Prob. 125.

Quia tunc, quæ per humana corpora meat natura plurimam, & repentinam ætatis mutationem efficit, cuius quidem rei fidem operatio facit, videre est enim feminis mammas turgescere propter lactis collectionem, tum ea loca, quæ circa pubem sunt, pubescere, præterea vniuersum corpus dilatatur, quod & morborum mutationes indicant, & quæ solutiones circa annum decimumquartum fiunt, & vocis asperitas, quæ branchus h. e. rauitas appellatur inequaliter aspera arteria dilata. &c.

Mentalis.

Hoc fieri arbitrantur quidam, quod dum genitale virus producit, spirituum præsertim vitalium maior copia ad testes effunditur, hinc reliquum corpus fraudatum hebescit. Accedat, vim feminis, foetificiq; lentoris genitiuam, quæ ante id tempus veluti sopita delitescbat torpida, quo tempore semen procreatur,

tur, atq; excitur, non modò testes ad pensum absoluendum excitare, verùm etiam qualitatem quandam seminalem virosam reuera, sed spiritaliter solis instar radios effundentis in vniuersum corpus emittere, quæ totum afficitur.

Hinc quæ venere seminare animantes, palato insuauiores esse consuevere, præsertim cum libidine turgent. Fœminis verò non modò istæ contingunt mutationes, sed & menstrua purgatio, sola enim animalia viuipara, eaq; non omnia congerunt crudum sanguinem comparatione mulieris exiguum, quod maxima pars in pilos absumatur, quem menstruum appellamus, quod singulis mensibus excernatur. Colligitur autem quod sic expediat seruandæ speciei, excernitur, quod hoc exposulet commoditas individui, suppressus enim graues morbos inducit, ni transferatur ad procreationem, aut nutritionem fœtus.

Hinc Hipp. in suppressione mensium narum hæmorrhagiam bonum esse dixit, quia sanguis per vterum effluxurus per nares erumpit, qui detentus circa vterum tumores, vel febres, vel hydropas pareret, vel ad mammas conuersus furorem ciceret, sanguis enim suppressus est admodum feruens, vt non possit regi à calore mammarum, & in lac commutari, quod fit, vt sanguis ita torridus leuitate sua in cerebrum subrepat, & furorem accersat.

Qua ratione scitè ab Hipp. proditum fuit, viro mulierem esse calidiorem, ob aggestum scilicet, & supercalescentiam menstrui sanguinis; cuius porro materia eadem, quæ alimentarij sanguinis, efficiens frigidior natura, & deses vita, accedit laxitudo, vnde corpus redditur diaphoretum, qua causâ redundantia non ita dissipari queunt: Menstruæ fluxionis videtur eadem, quæ aliarum excretionum causâ, nam quoties excretrix facultas quantitate, aut qualitate materiæ irritatur, toties menses, nisi quid impediat, vt obstructio, aut impotentia excretricis, exeunt. Altior tamen Fernelius more suo causâ magnoscit.

Neq; enim inquit, sola sanguinis redundantia circuitus causâ esse potest, quoniam is etiam, quæ sanguinis exiguum congesserunt, quamquam paruis, stas tamen circuitibus effunditur.

At huius circuitus causâ aut in naturæ consuetudinem, quæ omnia certis legibus, statq; periodis exequitur, aut in sempiternos, & immutabiles lunæ cursus referenda est, quæ vt luminum varietate tum crescens, tum decrescens, senescitq; menscm dimittitur, sic hominis, vt sanè reliquorum omnium humores rata ordinis constantia regit, atq; moderatur.

C 2 Cæterum

Lib. 5. Aph. 33.

Lib. 1. de morb. mul. n. 1.

Lib. de Hom. Procrem.

20 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

Cæterum fluit hæc materia ad genitalia, per eaq; statis temporibus euacuatur, quia membra generationi inferuentia in foemellis sunt debilia. Hinc Gal.

Fœmina, quia imbecillius animal excrementis abundat, quia verò infirmiffimas genitales partes habet, in eas sanguinem effundit.

Accedat naturæ impetus, quo graua deorsum prouoluuntur.

Virgines igitur nobiles, quum menstruorum tempus appellit h. e. anno ætatis decimo quarto præ cæteris simillimo morborum genere apprehenduntur, si menses intercipientur, & per nares saltem non erumpant, nam per moram prauam indispiscuntur qualitatē (sic vitium capiunt ni moueatur aqua) & per nervos, venas, & arterias principes partes in consensum trahunt; & hinc multiuga symptomata prodeunt. Enim verò vapor ex vtero sublatus viscera, ventriculumq; feriens nauseam quandam mouet, quam tamen raro excipit vomitio, sæpius tædium, cibiq; abominatio, non sine borborygmis ventrisq; rugitu. Cum halitus in septum transversum, thoracisq; particulas irrepfit, breuem respirationem, crebramq; veluti compressio thorace inducit, atq; cor obsidens leue animi deliquium parit. Pavor hic ægram externans inuadit, tamq; vehementer interdum, vt de se actum, conclamatumq; esse arbitretur, vt nullo consilio, nullo hortatu in bonam spem erigi possit. Vapor hic altius fauces subiens eas veluti vinculo perstringere, & manu præcludere videtur, spiritumq; penitus intercipere magna præfocationis formidine. At vbi cerebri arcem inuasit, alijs quidem vterinum furorem, appellatum cum garrulitate, & iracundia ciet, aut alia delirationis genera metus, horrorisq; plenissima, alijs caroticam affectionem, seu veterum inducit, quo mulier corruens ceu attonita, iacet sine motu, sine sensu vlllo, respiratio adeo exigua, & rara, vt aliquando nulla, aut transpiratio pro respiratione credatur. At nihilominus pulsatio aliquanta manet, vt vix dum tamen percipi possit. Quid plura?

Luctus ubiq; pavor, & plurima mortis imago.

*Merentur
lib. de morb.
mul.*

Mirantur quidam non immerito, qui fiat, vt ex vnica parte affecta, ex vnica formali, & materiali causa tot symptomata myriades emergant. Sed vbi partium, quæ in sympathiam trahuntur, idiosyncrasiam, & propriam conditionem vbi putridæ substantiæ copiam, putredinis gradum, modumq; animaduuerzint, desinent mirari e vestigio. Hi sunt igitur varij gradus,

& ordines,

& ordines, variæq; affectiones, quæ circuitu veluti epilepsia repetunt, quæq; attonitis, & melancholijs analogi sunt, quibus mulierum, maximè Virginum natura opportuna est, ubi menses refides sunt, neq; pro naturæ lege abeunt. Hinc rectè Hipp. *Lib. 5. Aph.* dicebat.

Si menstrua plura fiant, morbi proueniunt, & si non fiant ex utero morbi contingunt.

In tanta mehercle mediocritate, & habitudine hominis sanitas consistit, quam harmoniæ rectè comparat Arist. ut quauis exuberantia pessumeat: Propterea idem ipse quæsiuit;

Cur exuperantia vim habeant morbi committendi?

Lib. 1. de An. sect. 1. Probl.

Respondet, quia vel excessum, vel defectum efficiunt, in quibus morbi consistunt.

Opportunè utiq; & pro consuetudine vterina excretio manans plurimis mulieres commodis auget, vnde senex ipse asseruit, affectiones, quæ foemellæ accidunt, ni tollantur, ubi menstrua erumpunt, diuturniores fore. Quod si subsistant, aut perperam efluxerint, nefastæ, foedæq; calamitates impendent.

Sect. 3. Aph.

Sed cur circa pubertatem hæc mala Virginibus ingruunt? An quia hæc ætas, ut retrò sumus fati, magnam in corpore mutationem parit? An propter sanguinis, & feminis orgasmum?

Tunc enim ingens maximè libido exurenq; & vehemens ardor amoris est, ut præcipites sæpe ferantur in Venerem, ruantq; citra pudorem vllum, quæ causa mandat Philosophus ab Hipp. edoctus, ut quum mammæ turgidulæ prominuerint, diligenti custodia domi retineantur, seruenturq; In illis igitur semen turgescentes principio pubertatis si coerceatur, menstruusq; si cohibeatur fluor, nonne rationi consentaneum, ut vnâ cum menstruorum refluxu Virgines tunc temporis in hæc vitia potius incurrant, & solito frequentius? An quia menstrui sanguinis conditio venefica est, & pernicialis? Huius opinionis Fernelius fuisse

Lib. 7. Physiol. e. 7.

videtur, quoniam ubi mulieres mensuris purgationibus laborant ad conceptionem ineptæ sunt, aptiores verò, ubi ab hoc fluxu liberiores fuerint: Quod mensium obstructione laborantes grauissima symptomata patiantur, quæ illius sanguinis noxam, atq; perniciem indicant: Quod mensuris fluentibus concepti elephantici euadant, ob venenatam scilicet menstrui sanguinis qualitatem. Huc conspirant Plinius, & Columella, quod nouella germina a menstruosis foemina vel leuiter attacta penitus obarelicant, specula indelebilem maculam contrahant, pueri labem, in quam

22 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

in quam hæresim multo antea tempore venerat Arist. Verum-
tamen, quæ adscribuntur menstruo noxiæ qualitates in residem,
& malè affectum, aut certè in lochia sunt reiiciendæ, nam si ve-
nenatus esset menstruus sanguis nequaquam fœtum in utero enu-
triret, nequaquam in mammis in laudabile lac faceretur. Sed
cur non interficeret, aut officeret? Nec est, quod aliqui respon-
deant, venenum non agere in proprium subiectum, sed in aliud
sibi obiectum, nec referenda est causa in consuetudinem, qua
venena etiam in alimoniam vertuntur, siquidem menstruum,
sanguinem sola copia excrementum esse iam dudum a Medicinæ
coryphæis statutum est. Nec est, quod aliqui deterrimam in
menstruo sanguine portionem comminiscantur, qua delibutus
fœtus tandem extra uterum certo tempore foras exigit, atq;
protrudit ceu heterogenes quid, & naturæ dissidentaneum, unde
morbilli, & variolæ repullulant, quoniam menstruus est reliqui
sanguinis particula sola copia grauis. Neq; exanthemata, seu
variolæ, ut putat Arabum familia, ex menstrui reliquijs in poris
latitantis producantur, cum perenni effluxu corporis moles di-
labatur, qua causa scripsit Philosophus, nos augeri secundum
formam, qui sciebat materiatis particulas indefinente effluvio
labascere, nec permanere, consistere autem oportere idem,
quod adaugeat. Ad hæc cur fœminis, quibus subsistunt, sup-
primunturq; menses, hac labe, atq; colluue non sedatur cutis?
Rectius igitur, qui in certam cœli constitutionem, & ascitum
calorem reiiciunt, a quo sanguis inæstuans, siquid subest no-
xium, foras excernit, atq; propellit ad cutem, commune totius
corporis emissarium. Quod si menstruus iste sanguis malè affi-
ciatur, aut in alienam degeneret naturam, pessimus euadat, opor-
tet, & veneno finitimus, ut ex grumo sanguinis nata symptomata
monstrant; omnis enim de contrario in contrarium fit mutatio.
Sed proximum iam est, ut videamus, quæ mala superueniant ex
sanguinis palyndrome, & recurso ad cor, & sepium transuer-
sum.

*Lib. 1. de
Gen.*

*Mercatus
Ant: Valle-
tius supra
Holl.*

Quum igitur hæc repleta fuerint, cor satium fit, deinde ex satuitate
torpedo, postea ex torpedine delirium apprehendit. Quemadmodum
cum aliquo longo tempore desidente sanguis ex coxis, & femoribus
depressus in tibias, ac pedes torporem inducit. A torpore
autem pedes ad iter faciendum impotentes fiunt, donec sanguis ad
ipsum reuertatur. Reuertitur autem celerrimè, quum steterit in
aqua frigida, qua ultra malleolos madefaciatur atq; hic torpor facillè
cedit.

cedit, cito enim propter venarum rectitudinem refluit, & locus corporis non est periculosus. &c.

Quum igitur hæc loca, cor scilicet, & septum transversum repleta fuerint, & sanguine anarropo, & refluxo turgida (necessum enim est, ut sanguis exitu prohibitus, ni restagnet, tandem eo refluat per eosdem ductus, unde primum effluxit) cor fatuitate laborat, hanc vero torpor excipit (hic enim (ex) ordinem dicit) hunc vero delirium, & mentis alienatio sequitur, nam cum anima sit in corde veluti in radice, seu, ut dicebat Arist. ut Rex in sua regia: cor principis functionis initium esse, iustum est. Hinc Hipp. mentem hominis in sinistro cordis ventriculo sitam esse scripsit. Audienda tamen Arist. sententia eo modo, quo alibi luculenter expositum est. Hoc usu venire existimavit Capnaceus, quod ab affecto corde cerebrum in consensum trahatur. Hinc constare potest, quam futilem, absurdamque commentationem inierat, qui sanguinem in orbem agi, perennique vertigine, circuitoque eodem remigrare, unde profectus est, mordicus contendunt. Sed quia tam insanam opinionem ferre non potuit doctissimus Parisanus, eidem grauib. rationum momentis explodendam relinquo.

Lib. de corde.
Lib. de stru-
ct. Hom.
Lib. de meth.
Anathom.
c. de corde.

Ceterum Hipp. sibi aduersari videtur, nam libro de morbo sacro (si modo illius est liber ille) scriptum reliquit.

Dicunt quidam, quod corde sapimus, & quod hoc est, quod angitur, & quod curam gerit, verum hoc non ita se habet, sed conuellitur quidem, veluti præcordia, & magis etiam propter easdem causas ex omni corpore vena ad ipsum tendunt, & conclusiones habet, ut sentiat, si quis dolor aut collectio homini contingat, necesse est enim dum angitur, horrere corpus, ac distendi, & si quis nimio gaudio perfunditur, idem pati, quapropter cor quidem, & præcordia maxime sentiunt, sapientia tamen minime participant, sed horum omnium causa cerebrum est.

Quid igitur pro Hippocrate respondeas, hic ad vulgi opinionem, consuetudinemque locutum fuisse, quod nonnulli excogitarunt. An nos corde sapere verum est, quod melioris notæ philosophi ea distinctiuncula probarunt, animam quippe secundum iudicium, & perfectionem in corde, secundum receptionem in cerebro. Hinc Poeta ille.

Ioannes
Huarter
Cordatus.

Cor sapit, & pulmo loquitur, fel suscitatur iras.

Et reuera cor omnium apprehensionum, quas a sensibilibus per sensuum machinamenta elicimus, fons esse videtur, tametsi vniuersæ

24 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

uniuersæ sensuum functiones, & munera a cerebro manifestantur, & proferuntur. Quæstionis enim veritatem hic Hipp. ratione æstimauit, non sensu, ratio autem primum, & formale principium in corde esse manifestè demonstrat.

Huic sententiæ adscribere videtur Argenterius dum ait.

Vna anima vt est impartilis, & vnā habet essentiam diuersis facultates habentem, ita corpus vnum est, cuius organa ab vno principali organo originem trahunt, hoc autem est cor, in quo natiui caloris officina viget, & vitales spiritus procreantur, sine quorum ope nec ullus motus edi, ne vlla internorum, externorumve sensuum functio obiri potest.

Quum igitur cor, & diaphragma sanguine repleta fuerint, cor fatuum fit. Cur ita? dices. An quia sanguis simplicitatis, & stoliditatis auctor est. An quia fonticam, & venenatam ex vtero nactus fuit qualitatem, vnde hebet anima?

*Gal. lib. de
sympt. diff.
Mercato.*

Fatuitas est symptoma in actione minuta facultatis æstimatiuæ, quæ tunc fit, quando quis intelligenda percipit, at parum circa ea ratiocinatur. Hic Hipp. accepit pro rationis defectu, vt cuidam Neoterico quoque placuit.

*Cor datus
arripitur.*

Neque mihi illorum sententia probatur, qui fatuitatem interpretantur segnitiem, cordisq; hebetudinem, & tarditatem ad motionem, quique vt rem exprimant inconcinno, & inhonesto vtuntur exemplo; quamquam non est inficiandum, cor penes motum etiam torpescere, & veluti contrahi, vt secundum omnem partem quod noxium est, declinet.

Aph. 16.

Torpor voluntariæ potentiæ læsio quædam est, quæ etsi induci solet a frigido, torporem tamen mentis a calido fieri quinto Aphor. lib. planè confessus est, omnis enim intemperies deiecit actum propriæ facultatis. Quare circa viscera incuneatus sanguis primò fatuitatem, deinde maiorem ex loci angustia nactus caliditatem torporem inducit, denique ex vltiore adustione atræ-bilis vim consecutus delirium ciet, quod sanè, vt prædiximus, operis, & generis societate contingit. Non est prætereundum, quoddam pro diaphragmate hepar audiuisse, quod cor, & hepar sunt communes sanguinis fontes, quod etiam Hipp. placitis est consentaneum. Sic enim ille libro de natura muliebri.

Cor datus.

Num. 3.

*, Si uteri ad hepar accesserint, muta derepentè fit, & dentes conserit,
& color niger sit, patitur autem hæc derepentè, dum sana est, fit
autem huiusmodi affectio virginibus, maxime antiquis, & viduis,
, quæ*

qua iuuenulae sunt, & pepererunt, & viduae manent.

Quemadmodum cum aliquo longo tempore. &c.

Dicta exemplo probare nititur Author satis euidenti, quod etsi non omnino rei quadrare videtur, ita tamen intelligi potest, vt quemadmodum sanguis confestim ad cor irruens eius actionem imminuit, atq; præpedit, ita ad musculos delatus torporem, & leuem quandam paralyfim inducit.

A torpore autem. &c.

Quum autem torpore correpti fuerint pedes, incessus impotentes fiunt, nam torpor, ait Gal. ad motus ostendit futuram ægritudinem, donec sanguis eò refluat, vnde digressus est.

Reuertitur autem. &c.

Ocyssimè verò reuertitur, si pedes in frigidam immittantur, quæ ultra malleolos madefaciat, hæc enim vim habet reprimendi, & celerrimè vim suam altè subeuntem toti communit, qua causa scripsit Arist. eos, qui nudis pedibus inambulant, veneris esse impotentes, quòd inde genitalia, atq; adeò totum corpus, refrigerentur. Quo argumento vtitur Gal. ad refellendum Arist. dicentem, ita a natura institutum esse cerebrum, vt cor refrigeret; hoc, inquit, officium pedibus potius erat demandandum, quoniam vniuersum corpus illinc celerrimè afficiatur, quod sanè illi probarunt, a quibus veritas igne extorquetur. Hinc illud Pauli verissimum esse colligitur, dextri scilicet pedis pollicem oleo, cui cremati stellionis cineres permixti fuerint, oblinere, summis ad suscitandam venerem viribus pollere. Hæc autem eò spectant, vt multum facere concludamus, extremarum partium affectiones ad vniuersum corpus immutandum, quod in hæmorrhagijs, & cholericis affectibus e vestigio experimur. Immissis igitur in aquam frigidam pedibus facillè repellitur torpor, & sentiendi, mouendiq; hebetudo, cum per venarum reëitudinem facillè refluat sanguis. Scire tamen licet, hunc torporem fieri potius ex compressione nervorum (quamquam Hipp. in renum calculo adnotante Hollerio cruris stuporem ex compressione venæ potius fieri existimat.) & præ nimio calore, quam alia de causa, qua ratione ij, vt in exemplum attulit Hipp. qui in crura, aut in brachia incubuerunt, maximè si inconcinne, & perperam disposita fuerint, quendam torporem, & narcosim perferunt, quæ tamen paulò post euanescent. Quare sanguis reëstus, & reëfusus torporem submouet, quia nervosum genus non amplius comprimitur alioquin per

D

antiperi-

26 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

antiperistasin prodesse posset frigida, quo modo in tetano vitur Hipp. si eufarcus iuuenis ætate media afficiatur. Interim animaduertendum, ex hoc loco nos posse colligere, quanti sit facienda catixis, & vasorum rectitudo ad reuulsionem, iuxta & repulsionem moliendam, quam quidam secundum fibras perperam spectari volunt.

Bernardinus.

At ex corde, & septo-transuerso tardè refluit, vena enim obliqua sunt, & locus periculosus, & ad delirium, & insaniam paratus, quum enim hæ partes repleta fuerint, & horror cum febre ingruit, erroneas febres appellant.

Cæterum sanguis in præcordiis stabulans non ita citò repellitur ob venarum obliquitatem, & ob partis dignitatem periculum impendit, ob peculiarem verò affectæ particulæ conditionem desipientiæ imminet, sic enim vsu venit læto corde, aus diaphragmate, quod phrenes antiquis dicebatur, non quod ad rationem aliquid conferat, sed ob miram sympathiam, quæ illi cum cerebro intercedit tum ob insignium nervorum societatem, tum ob perennem, validamq; agitationem, qua fumidi vapores impetu ad cerebrum pelluntur, ac flabelli instar transmittuntur, nam si solam nervorum societatem admittis, cur inflammato ore ventriculi, quod insignes nervos recipit, idem non accidis delirium, & paraphrosin? Quam in rem alibi Hipp. appositè.

Lib. de super
fuit. n. 24.

Si Virgini, inquit, menses maturi non prodeant, multum febricitat, & dolet, & sitit, & esurit, & vomit, & furit, & rursus resipiscit, Vterus moetur, & cum ad viscera vertitur, vomitus, ac febris, & delirium accidit. Vbi verò datur uterus, hæc; quiescunt, esurit, & sitit, ac febris lenis, hepialon græci dicunt, tenet.

Lib. 3. P. 31.
T. 4. C. 16.

Cui applaudens Aui. Symptomata, inquit, quæ suppressas menstruas purgationes excipiunt, variè se proferunt, produntq; pro humoris in sanguine dominantis conditione, quod si fuerit humor melancholicus, ipse accersito in consensum cerebro mentem alienat, impetito, istaq; corde syncopen calamitosam ingenerat, ac diaphragmate diuulso anhelitum adimit.

Plurimaq; alia recenset incommoda, quibus cerebrum potissimum, & cor confortij lege lacerantur, & percelluntur, si menstrua non abeant.

Quum enim hæ partes. &c.

Cum igitur præcordia repleta fuerint horror incidit vna cum febre, quia scilicet tunc inculcatus sanguis minimè diffatur, hinc

Hinc putredo provenit, ad quam influentis caloris in subsidium fit reuocatio, quam sanè caloris retractionem horror excipit: Est enim tum horror, tum rigor natiui caloris affectio; etenim cum ex sentientium partium affectu dolor molestat, ad viscera innatum calidum sese recolligit, & extremæ, extimæq; partes calore destitutæ inalgescunt, atqui intus conclusum cum suffocetur moræ impatiens foras vehementius prodit, quo sese proferente membra veluti resectis viribus humorem morbificum motant. Hanc caloris reciprocationem sequitur sentientium partium expulsio, facultate nimirum a causa morbifica irritata, & a cordis calore adiuta ea vi, & impetu, vt fiat totius corporis concussio. Cæterum in interna phlegmone fit horror, & extremorum algescentia, quod caloris fiat intrò reuocatio, eò enim calorem, spiritus, & sanguinem ministros natura amandat, vbi fit defectus. Quæ verò hinc sequuntur febres symptomaticæ appellantur, quamquam hoc meritò ab Auic. si res penitus inspicatur, sugillatur, & conuellitur. Febres itaq; quæ Virgunculas inuadunt, cum sint variæ nullamq; certam obseruent typum, erroneæ febris ideam præferunt.

Cui rei adscripsit Gal.

Lib. 6. de Inc.

Si menstrua, inquit, deficiunt, grauitas totum corpus molestat, aff. c. 5. item fastidium, & nulla cibi cupiditas, inæqualitas horrida.

Et paulò post subdit, ab ardentibus febribus excipi cohibita menstrua; A quo ne latum quidem vnguem descendens Auic.

Lib. 3. F. 21.

inquit. Ex menstrua purgationis cohibitione plurima emergunt incommoda, corpus grauatur, atq; gracilescit, & mæret, & adueniunt horripilationes, & febres adurentes, & anxietates, & tristitia.

Tr. 4. c. 16.

Sed omnium pulcherrimè Aetius.

Serm. 16.

Mulieribus, quæ non purgantur consueto more, sanguinis reiectionis, ac syderationis periculum imminet. Nam suppressis mensibus molesta accidentia consequuntur. Totius corporis grauitas, nausea, fastidium, horridi quidam discursus, velut in his, quæ conceperunt. Non tamen ita, sicut his, quæ conceperunt uteri osculum clauditur; illis enim occlusio adest cum quadam duritia. Dolores insuper circalumbos, femora, collum, sinciput, & oculorum radices adsunt. Febres item assidua concomitantur, & vrina nigra sunt cum rubicundo quodam, ac sanioso, & ferofo humore: Difficultatem item, ac stillicidium vrinae patiuntur. Et quadam in melancholicum atræ bilis morbum, aut insaniam delabuntur. Cutis

c. 11.

D 2 superficiem.

28. *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

superficiem dolent, & inflammationes, ac ignes sacros diuersomode sustinent.

Coramtu:
notatur. Hoc igitur inter omnes conuenit, quod suppressos menses sequuntur inæqualitas quædam horrida, febres ardentes, & assiduæ, & mentis abalienationes. Quare subit mirari, cur febrem hepialam hanc appellere maluerint quidam, cum reuera non sit huiusmodi. Sed ad rem.

His autem sic se habentibus præ acuta quidem febre insanit, præ putredine clamat, præ caliginositate timet, & formidat, præ compressione verò circa cor strangulationes parat, præ sanguinis autem malicia animus mœrens, & anxius malum attrahit.

Tamet si humana mens nulli organo innexa nullis videatur primarum qualitatium exuperantijs affici, nihilominus phantasiæ causa, quæ intelligentiæ semper cohæret, vt comes, affectaq; eius indiuidua, in sympathiam trahitur, cum non nisi via, procurationeq; sensuum visa, & imagines animis insculpantur, eaq; est ratio, quoniam intellectilia reuera non sunt seiuncta a sensibilibus, quemadmodum existimabant Platonici, propterea Arist. scripsit nullam rem a nobis intellectam esse præter magnitudinem sensibilem; necessum est igitur, vt nostri intellectus intelligibilia in phantasmatis sint, & ideo non potis est quispiam noua cognitione, scientiaq; informari, neq; intelligere quasi scientiæ habitu vtens, quin inter discendum, aut speculandum phantasma aliquod effingat, visa enim sunt sensibilibus imagines, atq; similitudines, hoc verò interesse videtur, quod simulachra præter materiam sunt, sensus enim susceptius est specierum sine materia, imaginatio verò motus ex sensibilibus ab externis sensibus iam agentibus decisis. Hinc patere puto, læso phantasiæ organo impediri vsum scientiæ iam acquisitæ, atq; omnis rationis vim perueri. Quod siue cerebro per idiopathiam læso fiat, siue ex consensu, vt læso corde, aut diaphragmate inflammato, nihil refert. His igitur sic se habentibus, præ acuta febre insanit communicata cerebro calida intemperie; præ putredine vociferatur, ex biliosarum, putriumq; fuliginum ascensu, quibus cerebrum inæqualiter afficitur. Hinc Senex.

Libro de morbo sacro. Qui a pituita insaniunt, quieti sunt, neq; vociferantur, neq; tumultuantur, qui vero a bile vociferatores sunt, malefici, non quieti, & semper aliquid intempestiuum faciunt.

Lib. de mat. hum. Ea igitur est natura bilis, quam Democritus scitè inutilem humani corporis inquilinum vocitat, vt homines semper exagitet,

giter, & aliquid noui obijciat, hinc stare loco nesciunt, & importunè vocem emittunt. Sanguis igitur regeſtus, & circa præcordia putreſcens in vtramq; bilem facieſcit, & hæc accerſit ſymptomata.

Quærit Philoſophus, cur cum timor ſit quædam triſtitia, & dolor, *ſect. 27.*
dolentes tamen vociferantur, timentes vero non. *Probl. 9.*

Reſpondet, dolentes voluntariè ſpiritum continere, vt plurimus congregetur ad dolorem mulcendum, qui cum diu coneluſus ſtare nequeat confertim emiſſus clamorem, ſonitumq; parit.

Huius rei aliam cauſam comminiſcitur Alex. dicens. *In Probl.*

Quod ipſa dolentium anima ad id, quod dolorem infert, conuerſa eſt, quo fit, vt quodammodo moriuam pectoris muſculis virtutem præbere obliuiſcatur. Conſtat autem ipſum neq; pectoris dilatatione aerem accipiens, idcoq; neq; perflatum, neq; refrigeratum, neq; item contractione excernens ſingultifica excrementa, quæ de ſanguinis exuſtione gignuntur, dum ſuffocationem metuit, animam cogit, monetq; vt quam plurimum muſculis motum præbeat, maioremq; inſpirationem, expirationemq; efficiat, vt maiorem quoq; frigidi aeris vim accipiat, maioremq; excrementorum copiam effutiat, vt quod exigua, crebraq; reſpirationes faſtura erant, idem maior una efficiat.

Et qui à diaphragmate delirant raram ducunt reſpirationem, quare aucto reſpirationis uſu confertim emiſſus ſpiritus ſonitum edit, vt vociferari videantur.

Reſtæ igitur ſubiicitur, præ putredine clamare, quod ex minera fuliginum copia exhalans animam monet, vt aſſatim per expirationem foras amandet ſingultifica excrementa. Accedit mentis alienatio, vt innuimus.

Præ caliginofitate timet.

Atqui præ caliginofitate, atq; obſcuritate timet, & panicis timoribus exterretur, quod fit quoties ex atra bile vapores ad caput efferuntur, & animalium ſpirituum claritatem adimunt, & ipſius cerebri ſubſtantiam inſciunt (eſt enim veluti diaphanes cerebrum) & animo tenebras obijciunt, vnde obſcura phantasmata, & ignobilia emergunt imaginibus obliquè relatis. Huc ſi reſpexiſſet Rhœus filius, non tam fuiſſet in Galenum iniurioſus, & aſper.

Sed age cur ſcœminæ, quibus ſubſiſtunt menſtrua purgamenta, & atrabilis vitio implicantur, identidem ſibi malè, moleſtèq; accipi cor queruntur, & angî, & cruciari, vnde continenter ingemifcunt, & clamitant? Reſpondent quidam in cordis inſirmitatem. *Mercatus.*

30 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

mitatem deriuantes. An fieri non potest melancholica affectio, quin cor patiatur? Huius sententiæ fuit Auicenas.

Lib. 3. cap. de melanch. Non enim est, inquit, longinquum, mirum, si cordis complexio primo corrumpatur, & sequatur eam cerebrum, & corrumpatur cerebri complexio, & sequatur eam cor, & corrumpatur complexio spiritus in corde, & fiat syluestris, & corrumpat quod ex eo penetrat ad cerebrum, & iunet cerebrum ad se corrumpendum, &c.

Lib. p. Pror. vbet. Hipp. primo Prorrhetic. Deliria, inquit paulisper ferociencia melancholica sunt, si verò a mensuris fuerint, serina, hæc verò sapientia accidunt. &c.

Pra compressione autem circa cor. &c.

Vbi verò cor opprimitur, & vndiq; torquetur, misellæ Virgunculæ salutem despondentes violentas manus sibi inferunt, & se ex veteri consuetudine laqueo suspendunt, sic enim fit, inquit Aetius, vt ex grauioribus malis se liberent. Enim verò, vt canebat ille,

Quidnam faciet anima

Viscerosa, atq; irrequieta

Oestro irritata malorum?

Atqui cor comprimi contingit tum ex sanguinis copia, tum fontica & maligna qualitate, quam per moram in vtero contraxit. Quod si quis existimarit, præfocari mulieres præpedito diaphragmate lenis respirationis instrumento, non habebit me repugnantem; Nam vbi ad excretionem vterus mouetur, & nititur frustra, retrò remeat, ac sursum repit, ac vterus vna conuellitur, & in viscera ingruit, & lethales suos vapores eo transmittit, ea refrigerat, ac respirationem pluribus horis intercipit, & pulsu spoliatur, aut eum deprauat, siquidem viscera pondere premuntur, ac mulier ægre spiritum ducit. Sedantur autem hæc si vterus deorsum deductus in pristinam suam sedem reuocetur, & murmurillus quidam præcedat. Quæritur, cur in hysterica affectione, cum animales, tum vitales actiones adeò læduntur?

De loc. Aff. 5 Gal. existimat id fieri ob vteri consensum cum cerebro per nervos, cum corde per arterias, cum iecore per venas. Sed vnde pendet hæc affectio? Sanè vteri præfocatio est, Aetij testimonio, flatuosa perfrigeratio, aut potius conuulsio quædam, contrahitur namq; præter naturalem dispositionem vterus ad superiora. Conuulsionis autem duplex causa, repletio, & inanitio.

Lib. 1. Author libri de morbis mulierum refert ad siccitatem: Nempe id vitij mulieri contingere asserit, vbi vasa euacuata fuerint, tunc enim

enim conuerti, & sursum progredi ad humiditatem ex ipso icore hauriendam. At Gal. id fieri a repletionem asseuerat, eosq; fugillat, qui ex siccitate vterum præfocari arbitrantur, putat autem vel ob menstrua, vel ob vitiatum seminis retentionem id euenire, cum id mali genus Viduis, atq; ijs, quibus virorum intercepta consuetudo est, accidat, quin ob immoderatam vteri frigiditatem idem oriri quandoq; vitium censet.

At verò ab ipso Auic. conuulsio hæc non proportionata ad materiam appellatur, quæ deleteriam qualitatem excipit; quamquam huiusmodi ad siccitatem, aut repletionem redigi posse contendit Costæus.

Præ sanguinis autem malitia. &c.

Verum animi angor, & desperatio ex maligna sanguinis conditione, quæ atram-bilem sapit, ac redolet, suboritur, quæ mentem incessit, & alienat, quantum enim ad animi prudentiam, & constantiam deiciendam corporis vitia possint, abundè ab Arist. & a Galeno proditum fuit, nosq; ipsi alias notauimus. Quare ratiocinandi vi alias, quæ deinceps sunt, dirigente speculatoris, ducisq; cuiusdam more, quum illæsa hæc permanet, cæterarum affectus dignoscimus, quum verò affecta ea fuerit, memoria vnâ atq; imaginatio abolerentur, vbi enim consilij totius præses patitur, quomodo tandem censes affectum iri ministros, qui illi parent, dictoq; audientes sunt?

*Lib. de stru-
Hom.
Er in lib. de
Anima im-
mortal.*

Atq; hanc noxam, vti diximus, ex atræ bilis ebullitione animus sentire consuevit vaporibusve, qui hinc resiliunt, quorum planè contemperamento debemus, & repurgatione ægris securitatem præstare.

Sed alium horribiliter compellat, ac in puteos proflire, ac incidere iubet, & strangulari, tamquam meliora sint hæc, & omnem vitam utilitatem excedentia, &c.

Non est mirum si horrendum in morem alios compellant, & in puteos sese præcipites dare iubent, cum rationis munia præpediantur instrumenti vitio, quod ab ipsa atræ-bile afficitur, propterea alias rectissimè diuinus senex scripsit. Hominis modesti vocem ferocem malum esse, quia aut adesse, aut impendere ferinum delirium significatur, hoc autem est studiosi delirij peculiare, vt pessima quæq; apprehendat, & ceu optima amplexanda esse ratione, & imaginatione peræquè læsis autumet, tantum enim erroris & infantia imaginationi inest vt quæcunq; naturæ concessa non sunt, vt efficiantur, ipsa sibi liberè prorsus

32 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

prorsus effingat. Et quidem in turpissima nos hæc errata citò conijceret, nisi ratio quasi speculari quædam insanos huiusce impetus acriter obiurgans velut e specula quadam nimietatem cohiberet. Hinc cautè ad huiusmodi certas accedendum esse, docemur, ne aliquid intempestuum specie recti in medicum, aut assistentes moliantur, quiniis vincienda, & diligenter custodienda, ne in se met ipsas violentas inferant manus, obitumq; sibi fanaticæ consciscant. Olim Milesia Virgines, teste Plutarcho, se in Puteos conijciebant tali affectu correptæ.

Vidit Pontanus Virginem Neeram in Salentinis se in Puteum proijcientem. Plura videas apud Schenckium.

Aliquando sine spectris, & phantasmatis voluptas quædam adest, ex qua mortem veluti bonum aliquod amat. Postquam autem respicit homo, mulieres tum alia multa, tum pretiosissimas vestes muliebres Diana consecrant à variis id docentibus deceptæ. &c.

Lib. de virt. cord.

In Top.

Voluptas est animi motus proveniens ab obiecto proportionato ad potentiam, seu, ut ait Avic. introitus naturalis dispositionis apprehensio, nam ut dolor in quadam transmutatione consistit, ita voluptas, propterea Arist. *Melius est facere, inquit, quam fecisse, & melius fieri, quam factum esse.* Ea enim, quorum substantia, in ipso, ut ita dicam, fieri consistit, ubi facta sunt, non existunt amplius. Quid igitur mirum si defervescente febre, si diris illis phantasmatis, & idolis evanescentibus, quæ mentem miris modis afficiebant, voluptas quædam succedat, quæ Virgines levet. Relinquitur tamen solido charactere impressum sæpe vestigium, & alta mente repositum, cuius occasione in morbo affluerant mortem expetere tanquam quoddam bonum.

Hæret porro diutissime impressum signum tum siccitatis ratione per inflammationem, tum etiam tenacitatis propriæ, & familiaris, quæ humori melancholico summa inest.

Lib. de morb. mulierum.

Ex qua mortem veluti bonum aliquod amat. &c.
Hoc vitij genus accommodat Mercatus Virginibus, Viduis, & sterilibus, etiam si viris cohabitent, sed præcipuè puerperis, non integrè purgatis, vel ijs etiam, quibus menses per repentinam occasionem repente etiam retrocedunt. Quibus omnibus hoc mali accidit, ut aliquid in cor, & cerebrum commigret, ipsumq; adeò lædat, ut non modò imaginandi potentiam vitiet, verum credere, quæ cogitauerit, cogat, & proferre, quo discrimine melancholici a maniacis distinguuntur, discernunturq; quod

quod illi palam affari cogitata verentur quadam suspitione de-
tenti, ne falsum animo conceperint, proin intus animo volunt,
& sibi ipsis cor edunt, hominum vestigia vitantes, hi verò
confestim inconcinnèq; effutunt, quæcunq; imaginosa vide-
rit phantasia. Narrat Hollerius in hanc rem aliquot historio-
las dignas sanè, quæ hic adscribantur.

Lib. Præcos
cap. de supp.
mens. in
scholij.

Quibusdam, inquit, risus, quibusdam lachrymæ, alijs utrumq; ut
Domina de Rochepot, quæ cum varicosa esset, eo affectu corripiebatur
cum delirio, & risu, & lachrymis, oculorum contractione. Alteri
risus dein perturbatio mentis, hinc lachrymæ, a quibus etiam monita
haud cessant. Sed nihil admirabilius, quam quod duabus filiis Præ-
sidis Rotingensis contingere solebat in motu sursum uteri, quo inter-
uallis laborabant.

Risu enim longo ad horam, & duas horas imminente paroxysmo ca-
piébantur, quem neq; metu iniecto neq; hortatu, neq; alijs artibus pote-
rant compescere. Parentibus interrogata, & obiurgata respondebant
se non posse continere risum.

Hactenus Hollerius. At cur ridebant affectu præter naturam
corruptæ? Risus enim concitatio quidam animi, ex re iucunda
motus est ad conceptum intus gaudium explicandum, quo tho-
racis, & oris muscoli impetu quodam mouentur. An dicendum
ex affectu diaphragmate hoc proficisci, quod risus sedem non
leui coniectura quidam statuunt?

Ictus est inquit Hipp. catapulta in pectus, & paulò post risus tumultus. Lib. de popul.
tuosus supervenit, videbatur autem mihi Medicus eximens lignum reli-
quisse ferrum in septo transverso.

Nec absimile exemplum attulit Arist. Atqui fardonius, ut pa-
ræmia fertur, risus videtur ex musculorum septo consentientium
convulsione, qui buccas mouent. Adeò est perniciosæ naturæ
vapor, qui ex utero ad præcordia fertur (maximè si ex virosa,
fonticaq; feminis corruptione proficiscatur,) ut veneno finitima
symptomata pariat.

2. de Part.
Anim.

Postquam autem resipuit homo &c.

Vbi verò morbo successit sanitas, mentiq; pristina restituta est
mulier, quam mox donaria, & pretiosas vestes Dianæ appen-
dunt a Vatibus, h. e. pseudo-prophetis, & sacrificulis deceptæ,
in quos meritò inuehitur, & animaduertit Hipp. deceptores
vocans lucruoros cum in medicos malignè se gerentes omni
laude medicinam spoliarent, & si quid boni ægris contigisset,
ut Numini acceptum ferrent medicum prætereuntes, suaderent.

E De qua

34 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

In Epist.

De qua re acriter conqueritur Hipp. apud Democritum dicens : *Artis medicæ recta facta o Democrite pleriq; e vulgo hominum non omnino laudant, verum Dijs sepe attribuant, si verò natura relictata perdiderit eum, qui curatur, medicos reprehendunt Numen prætereuntes. Et ego sanè mihi videor maiorem reprehensionem, quàm honorem artis me consequutum.*

Vtinam hac tempestate similes calumnias non audirent optimi medici, qui ex arte, & naturæ conuenienter munera sua tractantes malè accipiuntur, pessimi quiq; & audacissimi adhibentur, etiam si per mortes faciant experimenta, & sibi viam ad laudem sternunt. At si præter infamiae periculum, quam nauci faciunt, poena impenderet temerè medentibus, plurimi fortasse ab officio se subtraherent, atq; temperarent rebus suis consulentes. Sed ad rem. Cum Deus rei cuiq; adsit (quidquid enim est diuinæ essentiae delibatio : Hinc Platonici, quæ sunt, omnia sunt, & ab vno, & in vno, & ad vnum,) & ad quolibet effectus conueniat, qua causâ moti Platonici scripserunt causas secundas esse instrumenta primarum, quæ Peripateticorum etiam consensu plus in effecta influunt, quàm secundæ, non est inficiandum, nos sine Dei auxilio, & congressu languentibus sanitatem minime restituere posse, id quod etiamnum ab Hipp. manifestò traditur.

Lib. de morbo
acro.

Lib. de Eleg.

Inquit enim, *Deus est, qui maxima, & sceleratissima peccata purgat, ac purificat, & liberatio nostra existit. Alibi vero. Scientia de Dijs animo penitus implexa est : Tum verò in cæteris affectibus, & symptomatis Medicina erga Deos : valde reuerenter se gerere comperitur. Tum verò Medici Dijs locum dant. Numen enim cuncta gubernans in Medicina minime ociosum esse animaduertunt, & in his morbis, quos ipsimet curare nituntur, & in his, quos ultro absq; sua opera superari vident. Quot quot enim vincit Medicina, hi, c (Deorum nimirum ope) vincit. Quin & Medicinæ via secundum sapientiam Deorum munus est, & remediorum efficacia ab eisdem pendet. Verum hoc alij non credunt, cum in confesso fiat, sensuq; percipiuntur ea, quæ circa corpora sunt, partim per omne remediorum genus transformando, aut transmutando, partim per chirurgiam auxiliando, partim remediando medicamentis, aut diæta, & tamen summa horum cõredit, ut Deus esse cognoscatur.*

Hæc est diuini Senis theologia, qua vtraq; Dei prouidentia explanatur, & palam fit, quid sanctius, quid diuinius a natura mortali dici, aut excogitari potuit? Verumtamen quia Medicina donum Dei est hominibus diuino fauore concessum ad arcendos,

arcendos, propulsandosq; morbos, non est credibile, inanem esse Medici operam. Quare qui media spernit, per quæ Ignis ille viuens efficax esse vult, vt se ab ordine subtrahit, ita grauius peccat, & se ipsum perdit. Neq; Hipp. damnauit scythas Numini xertia, & vota ferentes, sed vnâ naturalia media esse transfigenda constanter asseruit. Quod vt amplius constet, sciendum, secundas Intelligentias agere, & mouere per formam apprehensam ab intellectu, forma autem apprehensa est intentio, & notio rei, haud res ipsa, atqui non potest res rata, & absoluta immediate ab intentione produci, hinc fit, vt Intelligentiæ inferiores per formam apprehensam, quæ illis est ratio agendi, non possint reuera naturam procreare. At secus in summo Deo res habet, nam quod intelligitur non est amplius notio, sed res summa, quæ est ipsissima Dei essentia rem vniuersam continens, & propterea materia corporalis vni, & trino Deo cum penes motum ad locum, tum penes motum ad naturalem formam obtemperat, & penitus audit, cui soli mandauit Hipp. vt preces effundamus, & munera, non istis Deunculis, quos temerè gentilitas effinxit. Prudenter itaq; Hipp. miscellas mulieres decipi scripsit a vatibus, qui muliercularum loculos exhauriunt, discriminalia, periscelides, olfactoriola, & murenulas corradunt: Ex stupore iuncto credulitati impostores incredibilem quæstum fecerunt. Vtinam hac nostra ætate non essent, qui specie recti idiotis imponere nituntur, & per dulces sermones, & benedictiones seducunt corda innocentium.

Eo artificio constat, ethnicos multifariam fuisse delusos, atq; in impietate obfirmatos, & (vt cætera huiusce rei mittamus exempla) narrat Philostratus, Pausanias, & Strabo, eos qui varijs oppressi morbis Æsculapij, Serapidis & Amphiaraï templa petebant, omnium ægritudinum in quiete, dum eisdem somnia obuersarentur, præsidia accipere consueuisse, quod idcirco Dæmones faciebant, vt vel sibi, qui ea remedia suppeditabant, vel tribus illis hominibus in Deorum numerum relatis honor tribueretur. Plinius tradit, ægrotantes suos morbos ad Deos referre consueuisse, quod & nunc faciunt religiosa opinione adducti, ac liberatos in templo scripsisse, quibus remedijs conualuissent. Hinc Iamblicus, medicina, inquit, somnijs est repta diuinis; ægri pernoctantes in templo Apollinis inter dormiendum somniantes agendorum monebantur. Sed quis credat a calumniatore, & iurato humanæ ceruicis hoste auxiliorum præsidia, non

E. 2. potius.

36 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

potius venena oblata fuisse? Nos interim ex animo hortamur, ut ægroti, & malè habentes Deo, Diuisq; vota nuncupent, & donaria in Fanis appendant, qui certò scimus, preces nostras per Sanctos Deo offerri, cui omnia præsentissima sunt, quiq; admirabilis in Sanctis suis esse vult. In languoribus igitur ad diuinam opem recurramus, & ipse sanabit, qui vera salus est, neq; tamen interim naturalia præsidia sunt omittenda, per quæ in nobis efficax esse vult, ne tentetur eius omnipotentia.

Dianæ igitur vouebant mulieres, quia Virginibus præesse credebatur, & propterea ad Numen faustissimum confugiebant, & pro accepto beneficio gratias referebant. Hinc Venusinus.

Montium custos, nemorumq; Virgo.

Quæ laborantes vtero Puellas.

Ter vocata audis, adimisq; letho.

Diua triformis.

*Libro de nat.
Deor.*

Plures Dianas fuisse commemorat Cicero, sed illa nominatissima est, quæ eodem partu ex Ioue, & Latona orta est, ut Homerus testatur.

Salve Latona, ut peperisti pignora clara.

Venatrix Diana tua est, & clarus Apollo.

Edita in Ortygia hæc, in Delo est ortus Apollo.

Hæc ob virginitatis amorem fertur hominum consortia aufugisse, & ut a se libidinis pruritum amoueret venando sylvas incolabat paucarum Virginum comitatu contenta. Arcum ferebat, & pharetram succincta semper incedens, & cothurno induta, ob hanc causam sylvarum, nemorumq; Dea putabatur. Dicta fuit Triuia, quod vijs præesset. Item Lucina, quod a parturientibus inuocaretur. Iuno, Lucina, dicebat meretrix parturiens apud Terentium, fer opem. Laudatissimum templum habuit apud Ephesos, quod Herostratus, ut ex facinore immortalem gloriam consequeretur, destruxit, & solo adæquauit. At τῆς ἑστῆς. Proximum est, ut ad curationem progrediamur.

» Caterum curatio, ut hinc liberentur, est sanguinis detractio, si nihil
» fuerit, quod impediatur. Ego verò iubeo Virgines, cum huiusmodi
» patiuntur, quàm citissimè viris cohabitare; Si enim conceperint,
» sanæ fiunt. Si verò huiusmodi non affuerint ipsis simul cum puber-
» tate, aut paulo post corripientur. Si non viro nupserint. At verò
» ex mulieribus viro iunctis steriles magis hæc patiuntur. &c.

*Cordatur
temerè hic
Hipp. incor-
pretatur.*

Mirificus Hipp: præclare tantis malis medelam instituit, (quod fuit instituti sermonis consilium) dum sanguinis missionem

nem præscribit, si nihil fuerit, quod impediatur. Nam mala, quæ huiusmodi foeminis accidunt, ex sanguinis synathrisimo, & collectione, ut vidimus, proficiuntur, nil verò peræquè prodesse possit, atq; sanguinis detractio.

Sed unde mittendus sanguis est? Ex tali venis iubet Hipp. atq; affecta Gal. ne, si ex cubito, fiat instituto nostro contraria reuulsio. At hoc cunctis perpetuum esse debet, ut defectis mensibus sanguis infernè ducatur? Minimè puto, ubi plethora, & summa sanguinis vbertas affuerit, tunc enim ex cubito satius sit sanguinem prolificare, quod & ab Hipp. præscribitur, quod Paulus, & Aetius Amidenus obseruauerunt, illi enim, ubi præto fuerit plenitudo, malunt supernas tundere venas, & sanguinis copiam inde exhaurire, subinde malleoli venas secare. Serio enim metuunt, ne secta priuim pedis vena sanguis deorsum præceps ruat, & copia sibi aditum præcludat auctis obstructionibus.

Lib. de inter-
n. aff. cit.
Paulus lib. 3
c. 61.
Aetius ser-
m. x. cap. 57.

Quærit Aphrodisiensis, cur in vasis, quæ a Græcis harpagia dicuntur, digitus eorum ori impositus non sinit aquam fundo effluere, sublatum autem sinit? Quia inquit, cum ex ore digitus elenatur, aer aquam ingrediens deorsum trudit, quò suapte natura fertur, atq; ita per foramina fundi exit.

Prob. 95.

Copia sanguinis in mensium suppressione instar est digiti vasis osculo appositi. quare ut remoto digito aqua delabatur, ita aperta supernè vena & imminuta sanguinis copia ab uteri fundo foras effluet & erumpet; quam sententiam doctissimus Sanctorius Medicorum Princeps, & verus Apollo in aureo de remediorum inuentione libello planè tueretur. Caueant igitur, qui tam mordicus Galeno cohærent, ut ne latum quidem vnguem discedere ausint, nam serui illi sunt, ille idem dicebat, qui se Hippocrateos, aut Praxagoreos, vel alios alterius sectæ appellari volunt, quicumq; igitur Romanus, vel Græcus, vel Arabs, vel Iudæus optimè locutus fuerit; illi proculdubio fides habenda. Hac tamen cautione Aetij consilium nos assequi decet, dummodo sanguis quiescat, quiescit autem, quando menstruorum periodus longè distat. Cæterum non vique licet suppressis mensibus sanguinem cæsa vena educere. Quid ni?

Apud
Amar. cent.
cur. xv.

Capinaccus

Quia aliqua impedimenta fiunt; hæc autem in virium, aut malæ corporis habitudinis vitium, vel in vitæ laboribus & ieiunijs deditam consuetudinem referri possunt, neque enim Aetii testimonio phlebotomia, ubi sanguinis missione opus est, ex eorum genere est, in quibus tandiu præstolandum, immorandumq; fit, donec

Lib. 4. F. 1.
T. 2. c. 7.

38 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

fit, donec digestio fiat, quemadmodum in cæteris humoribus. Quare perperam efficiunt, qui rusticas Viragines agrestibus laboribus, atq; ieiunijs continenter lassatas, atq; vexatas phlebotomijs frustra fatigant. Quod si subsit in prima regione cruditas, eccoprotico prius exturbari vult, ne tracta in venas suburra massam ipsam contemeret. Non est interim Auic. consilium negligendum, qui mandat, ne ijs Virginibus, quibus ob genitale virus hystericae passiones impendent, ingruuntq; sanguis detrahatur, sed potius vt viro iungantur.

Ego verò iubeo, &c.

Si Virgunculæ his passionibus opportune liberari desiderio desiderant, ad nuptias, ait Hipp. conuolent, & virum experiantur, nam aucto per venerea calore, valisq; generationi seruientibus explicatis, atq; dilatatis excrementa quaecumq; congeruntur huc amandata foras promptius erumpunt.

Accedit seminis excretio, quæ mirifice totum corpus afficit, quam ideo Democritus paruum vocitauit Epilepsiam. Hinc dicebat Conciliator, tria esse, quibus corpora prorsus permutantur, melancholiam quippe, eorum, atq; vinum. Ita esse demonstrant Philosophi quærentes. *Cur mulier virum, qui eam deflorauerit, vitiatq; præcipuo amore persequitur? Respondentq; quia summæ delectationis initium maximam affectionem in totum inducit, qua potestates animæ maximè oblectantur, & ei immobiliter adherent, atq; adquiescunt.*

Qua causâ sapienter Hesiodus mandat, vt Virgines in matrimonium ducantur, haud Viduæ, ne benedictus ille Benedictus crebriusculè fortassis interponatur. Sed enim tunc solum consulit Virginibus virum Auic. vbi ex polluti seminis pleonexia malis plectuntur, hocq; interim spatium hortatur, vt corpus exerceant, foetificumq; lentorem minuendis vtantur, veluti ruta, calamentho, vitice, electario & cymino, propolisina te ex diureticis superhausso. Nos autem experimento probauimus, virum esse omnium præsidiorum instar. Mulier nobilis non ita pridem furebat ab utero, inquit vir doctus, imperavi venæ sectionem, clysteres, frequens balneum, quibus cum morbus non cederet, maritum peregrè profectum iussi reuocari.

Reuersus illi pristinam mentem prima nocte restituit. Siccus uterus solebat humedari non aqueo, sed aereo, & pingui illo humore, qui est illi pro pabulo.

Simile exemplum affert Alex. Benedictus. Iuencuta Venetijs domo

domo exijt furens ab utero ob suppressos menses, cum maritus eiusdem domum reuersus cum ea tota solitus fuisset nocte, fluxere menses mentisq; sanitatem consequuta est: Nobis simile exemplum videre contigit nouissimis diebus. Non modò verò furentibus conducit congressus cum viro, verum etiam hysterica passione oppressis suauissima curatio euadit, mirum enim in modum releuat congressus a paroxysmo, si penis oleo moschatellino oblinatur, aut quouis alio, in quo granum moschi, zibetti, vel ambrae griseae, sit dissolutum. Propterea Medici partes sunt, Parentibus consulere, vti Puellae nubili maritum quadratum, & succi plenum quaerit. Notandum, quòd Puellae hystericae primis congressibus solent concipere, vt caueant sibi, appetens uterus inuento edulio se se explet, quod in bonis habendum, nam si conceperint, inquit Hipp. sanescunt, expleto enim desiderio quiescit uterus, quem Democritus iure Puerorum matrem, & infinitarum ærumnarum in muliere causam nuncupat.

A Platone animal dicitur procreandi filios cupidum, quod ubi sterile præter tempus diutius fuerit cum indignatione grauitur fert, & undiq; per corpus oberrans, & spiritus transitus obturans, & respirare non sinens anxietates alias extremas immittit, tum omnis generis morbos inducit, donec vtriusq; cupiditas, & amor educto velut ab arbore fructu, deinde excerpto in uterum velut in aruum animalia præ paruitate visum effugientia, & non efformata conseminant. *In Timaeo.*

Aretæus uterum viscus quasi animatum, & veluti animal quoddam in animali appellat. Ne credat tamen quispiam uterum loco moueri, etiam si conuulsis ligamentis interdum contrahatur, solutus aliquando prolabatur. Hinc patere puto, quam malè sibi, & Puellis prospiciant Parentes, qui sumptibus parcentes filiolas in Gynæcia vel inuitas obtrudunt, vbi desolata vitam despectissimam agere coguntur, & dira pati symptomata, quæ aut Dæmonis, aut dementatae mentis suspensionem iniiciunt, atq; hoc interim spatio Parentes proscindunt, & malè iurgijs exprobrant, quorum causa illæ coguntur sæuos perferre labores.

Venus nec illis monita verbis subsidet,

Sed si vrgens, magis, magisq; intenditur,

Amorq; castigatus infestat magis.

Aduertant igitur posthac consanguinei, & Puellarum mentem, mores, temperiem, & vita: genus prius consulant, quam miscellas in ea Urbis latera relegent, vnde Hymenæus. & Veneris illecebræ

40 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

illecebræ amendantur, & exulant. Plurimum enim Parentum interest, quàm libenti, aut quàm inuito animo coelibatum agant Puellæ, ne, quod Pausaniæ continebat, illud perpetuò infunderetur in aures.

Pœna luenda tibi est, affert iniuria cladem.

Est sanè pulcherrimum, & laudabilissimum vitæ genus Deo, Diuisq; vacare circumcisis mundanorum adfectuum radicibus, sed quæ tam impotens est, ut sibi imperare nequeat, & discussis passionum nubeculis veritatem puro lumine inspicere, digna profectò est, quam miseremur; habet enim, inquit Hipp. mulier in se lasciuia quamdam, quæ nisi quotidie refecetur, veluti arbores in materia multæ effusionem extuberat.

At verò ex mulieribus. &c.

Superest iam, ut videamus, cur inter nuptas hysterice passionibus magis obnoxie sint steriles. Equidem hoc haud vsq; quaq; verum esse affirmari, nam steriles plurimas nouimus, quæ quicquam tale nunquam sunt perpessæ, attamen si contingat, mulierem plurimo scatere succo, lautissimè viuere, & carnosè, optimiq; habitas esse, plerumq; hoc dæmonij genere corripitur, quod certè minimè accideret, si conciperent, tunc enim foetus plurimum materni sanguinis ablueret, & in puerperio vteri penitus repurgarentur. Accedat, ex Hipp. vteros tunc fieri fluidiores.

Ad hæc non tam ægrè ferunt distentionem a sanguinis suppressione, & alia incommoda, cum per consuetudinem vtero gerendi non ita afficiantur ex leuibus causis. Refert primariæ notæ medicus, se nouisse mulierem, quæ cum esset demens, simul atq; concipiebat, respiciebat, & menti meliori reddebatur.

Rond. lib. de
meth. med.
Lib. 3. F. 21.
T. 1. c. 8.

Hinc dicebat Auic. quod mulier, quæ parit, & concipit, minus infirma est, quàm sterilis. Verumtamen est debilioris corporis, quàm ipsa, & ocus sensit. Sterilis verò plurimis subicitur agnitudinibus, atq; maturior senectus accedit, & inuenescere videtur.

At verò ne præsidij destitutæ videantur, quæ Deo dicatæ, aut pudicitie causa suauem illam curationem renuunt, age in medium paucula afferamus, quæ hoc dæmonium propellitur, atq; perfringitur. Hortamur igitur, ut vnaquaq; mentem piet, & a quicquid radicitus repurget, tum animam pijs cogitationibus repleat, recolatq; quàm ampla præmia illas maneant, quæ legitimè certauerint, & sensuum illecebras aspernatæ fuerint, ac quam turpe sit in materiae foeditatem illabi, neq; animum iustinare

sustinere posse, ne cadat, quam grauiā decernantur supplicia ijs, quæ animi libertatem appetitui manciparint. Hac lustratione ubi animum repurgauerint, ieiunijs corpus extenuent, pulchrum enim est corpus esse in macie, dum animus est in sagina, quā causa rectè Samanæ violentas manus in corpus, cum valebat, inferebant, ne petulanter in animum se gerens, eius imperium aliquando eluderet. Huc etiam spectauit Moses ille Atticus, quando scripsit, qui animo viuere vult, corporis mortem meditetur. Perpetuum igitur sibi indicant carnis priuium, quod est Hipp. consilium, præcipiens, vt scemina piscibus potius vescantur. Super omnia munera Bacchi declinent Romanam temperantiam adhibentes, continentia enim gratia Romanis Puellis vino interdictum erat, in quo Venus luxuriat, hinc Auic. *Cave, inquit, ne ei des in potu vinum, quoniam aqua est ei conuenientior.*

In Timæo.

Lib. de morbo mul.

Lib. 3.

Ouidius.

Quid tibi præcipiam de Bacchi munere quæres

Spe breuius monitus experire meos.

Vina parant animos, faciuntq; libidinis aptos.

Quare consultè proditum fuit, Venerem, & Bacchum mutuis stare auxilijs. Ex animalibus mittantur Agni, hoedi, palumbes, testacea, ostrea, mytuli. Oua, lac, cepe, allia, cicer, fabæ, faseoli, enula, anysum, marathrum, cinara, amygdalæ, phystici, cruca, bulbi, de quibus Poeta.

Daunis, an Lybicis Bulbus tibi missus ab oris,

Ouidius.

An veniat Magaris noxius omnis erit.

Nec minùs crucas aptum est vitare salaces,

Et quidquid Veneri corpora nostra parat.

Summum quæcunq; sanguinem, atq; adeo foetificum lentorem augere possunt optimi succi edulia, quæ flatu, atq; tentiginem excitare valent, aut acrimoniam, vt aromata penitus arcenda. Interim lactucis sæpiusculè vtendum, extinguunt enim igniculos, quod significauit Venus. dum mortuum Adonim inter lactucas sepeliuit: Vinum, (si modò vti licet) foliorum Agni casti succo diluatur.

Tercenta alia mittimus, quum non sit propositi nostri singula minutiùs prosequi. Interim desidia vitent, quæ improbitatem, & nequitiam quærit, vt Hipp. more loquar, animum ad aliquod studium appellant, nec patiantur eum feriari, multos enim memorat Plato, quos assiduus labor reuocauit ab incontinentia. Præ cæteris Deo, Diuisq; se commendent, rogentq; vt ferocientem appetitum rationis habenis compescere possint.

Lib. de præcept. lib. de leg.

modus T

F

Quo

42 *Commentarius Ioannis Stephani in Hipp.*

Quo pacto D. Thomas compressis prece igniculis, præcinctisq;
ab Angelo lumbis castitatis zona, perpetuam pudicitiae laudem
sibi custodiuit. Verum nos in alienam messem illapso pedem re-
feramus, & hæc transmundanis Philosophis relinquamus, & no-
stris potius elucubrationibus ad vmbilicum adductis accinamus.
Deo immortales gratias agentes.

Fœlix, qui potuit visere lucidum

Puro ex fonte bonum; qui potuit grauis

Missis illecebris soluere vincula

Terrenasq; cupidines.

Vates Threicius funera coniugis

Plorans, gger vbi flebilibus modis

Sylvas vernicomas currere, mobiles

Amnes stare coegerat.

Iunxitq; intrepidum blanda leonibus

Sæuis cerua latus, nec timuit lepus

Iam cantu placidum sollicitus canem;

Dum cor feruor adurefet.

Nec qui sæpe modi cuncta subegerant

Mulcerent Dominum: Tum Superos querens

Immites adiit tartara, diraq;

Furæ regna Proserpinæ.

Illic Biffonius mira sonantibus

Præcentor fidibus carmina temperans

Quid quid præcipuis fontibus hauserat

Matris, quod dabat impotens

Luctus, quod geminans luctum amor anxius

Demissis oculis trenera commouens

Næ desset, veniam poscit, & horrida

Flectit numina Tartari.

Flaccet tergeminus carmine ianitor

Captus dulciloquo, quæq; agitant Dææ

Ultrices scelerum corda nocentium

Iam mœstæ lachrymis madent.

Non Ixionium præcipitat rota

Excantata caput, Flumina Tantalus

Spernit, dum satur est, Vultur edacior

Non traxit Titij iecur.

Tandem

Tandem commiserans heu nimis Arbiter
 Umbrarumq; Pater, vincimur, addidit.
 Donemus comitem dulce petentibus
 Emptam carmine coniugem.

At lex iuncta viro dona coerceat,
 Nedum nostra libens limina liquerit
 Absenti liceat lumina flectere.

Quis legem det amantibus?

Maiores amor est. Heu prope terminos
 Noctis respiciens Euridicem suam
 Orpheus impatiens exiguae morae
 Vidit, perdidit, occidit.

Vos hæc respiciunt, qui in superum diem
 Mentem solliciti ducere quæritis,
 Auctoremq; boni cernere perpetim
 Optatis benè feruidi.

Quid quid præcipuum possidet intimis
 Thesauris animus; quid quid habet boni
 Virtutum rutilo sydere fulgidus
 Perdit, dum videt inferos.



AD ILLVSTRISSIMVM
ATQ; REVERENDISSIMVM
ALBERTVM BADVARIVM
CREM. ANTIST.

Quartana febre laborantem.

QVA RATIONE INTERCIPi POSSIT
QVARTANÆ ACCESSIO.



*VMANAS dum sola vices, casusq; nefastos
Ipsa animo reputat Venus, & miserabile fatum,
Mortalesq; hominum curas, vigilesq; labores,
Insignem Albertum afficiens, quo pulchrior alter
Adriacis non fertur aquis, neq; moribus anteit,
Aut virtute animi, redimitum tempora mitra,*

*Sacra Quirinali celebrantemq; orgia ritu,
Lenaq; indutum, demisso lumine, fluxa,
Mirabunda diu, & fatuo correpta stupore
Ora premit, sistitq; loco insinuata lacertos.
Tandem oculos tollens roseo suffusa colore
Increpat indignata, & inania verba profundit.
Sic cine desciiuit Flamen, sic nostra reliquit
Castra silens? Tantumne mihi crudelis, & asper,
Tantum optavit onus, tantosq; afferre dolores
Tunc decus sine clade fouebis ianthina vestis
Progenitumq; auctumq; mihi? Patiarme miscella
Deludi, frustraq; meos prosperpere nifus?
Ah scelus indignum; meritas iam sumere poenas
Iam satago. Petit hinc Saturnum actura querelas,
Deploratq; nefas, praesensq; Ericinia poscit*

Auxilium,

*Auxilium . Insueto commotus pondere rerum
 Ipse Senex sortem Diua miseratus iniquam
 Presentem promittit opem , natamq; sinistro
 Omine filiolarum cum dicto accersit , acerbis
 Informatq; modis . Venerem viden ipsa querentem
 Tristis ait , Seniorq; Deus , lachrymisq; madentem
 Ipsa nefas gemit Alberti , qui prouidus Aula
 Despicit imbellem thalamum , & connubia Diua .
 Tu pete testa viri , venetoq; infecta colore
 Perterre panici , & tristibus imbue visis ,
 Quato quoq; incesse die , modò frigore membra
 Concute pallenti , & cruciatu obtunde medullas ,
 Nunc rapido gelidos artus exure calore
 Circuitu alterno ladens , atq; horrida monstrans
 Filia Saturni gaudens mandata Parentis
 Ritè sequi aggreditur validis instructa ministris ,
 Tristeq; munus obit , Dominumq; infesta laceffit
 Quarto quoq; die vires , & robora frangens .
 At cuncta e calo despectans Iuppiter equus ;
 Ergo hominum decreta iris pleffuntur iniquis ?
 Non patiar . Subitòq; fidelem accersit Hygeam ,
 Atq; hac mandata iniungit . Citò perge per alta
 Belluni iuga , perq; nemus , collesq; beatos ,
 Quere salutiferas herbas , succosq; potentes ,
 Languentiq; manu prope ra succurre medendo .
 Illa autem dicto citius florentis Anaxi
 Percurrens ripas , & amœna cacumina Acedi
 Euphrasynum Filicemq; legit , scolopendraq; & Irin
 Ithyricam , Lupulosq; Alpinaq; Teucria iunctis
 Seminibus Viticis , Violasq; & Aizoa , & atram
 Capnitim , & genus omne Adianthi , vdosq; Genista
 Flores , & fructus Thamarisci , & pocula casa
 Sennamq; & nigram Balanum , & Polypodia querna
 Hincq; salutare adiecto sacchare succos
 Conficit , atq; laboranti custodit Hygea .
 Præterea calathis cerealia munera defert ,
 (Ut fors ipsa tulit) syluestribus obsita pompis ,
 Vuas , & ficus nocturno rore madentes ,
 Aurea mala Pyris permixta rubentibus , escas ,
 Quas Pinus profert , & plurima Phyllidis Arbor .
 Accipe ,*

Accipe, ait Dea, qua tibi dona virentia gesto,
 Scilicet & spem portendunt, & sumpta salutem
 Restituent. Age rumpe moras, & amena vireta
 Quere libens, veterisq; soli vestigia linque.
 Proderit insuetum Caelum, & puri aetheris usus,
 Quem cantu volucres mulcent, aut curvus Arator,
 Seu labentis aquae murmur, seu mobilis Aura.
 Hic compone animum curarum mole relictæ
 Delicias inter molles, & gaudia lata.
 Offeret interea syluestria munera Faunus,
 Phœnicurum, Erithacumq; simul, Floramq; Chloring;
 Sapirolamq; vagantem, Ciriumq; atq; Atricapillam.
 Turdosq; Attagenasq; & Porphyrionæ, salaces
 Nec non Perdices. Nais quoq; xenia tradet
 Carula, & Auratam, & Mullum, Percamq; Lupumq;
 Et quot quot fluvij sapidos alit unda Natantes.
 Neu graue sit, curruq; vebi, perq; aquora campi
 Exercere breui torpentia membra laconum.
 Turbam inter, leporesq; sequi, testaq; lutoq;
 Hocq; caue, ne sudorem, sed gaudia tantum
 Exprimat ipse labor, curasq; eliminet atra.
 Sed cape, ne te longa diu fastidia ledant
 Præbiabina procul pulsant hostilia febris:
 Una bipartitò irritamina segnia reddunt;
 Altera concrementa vetant inolescere furva.
 Ergo dum properat pugnax insultus, & instat,
 Tu vehemente animam motu, atq; pathemate multo
 Imbue, ne mens insidiosa incommoda causa
 Percipiat distrahta, & ad obuia versa profundo
 Excessu, mentemque thoro, somnoq; sepultam.
 Obrue, ne sensu obtuso nova pugna fatiget.
 Congressus febrem interimit semel interceptus.
 Sic immane iugum fregit, lussitq; Puellam
 Intentus luctæ, dum Prodrumus ignifer instat.
 Fabius eluctans, & acerba percitus ira.
 Sic Caus miseris hypnotica pharmaca prebens
 Mandragoram, solanumq; stupens, & dulce Papaver
 Immemores, vacuosq; malis per somnia fecit.
 Ast bilis cohibent nigra incrementa, vetantq;
 Ultra adolere alterix vis non effata, vigensq;

Empyricus
 hic curanda
 Quartana
 feb. modus
 decerpitur a
 Mercato lib.
 p. de Reſto
 Præſid. uſu,
 qui miner/a
 qua huc ſpe-
 ctant deſcri-
 pſit a Brudo
 liſtiano, qui
 lib. 3. de ra-
 tione viſus
 graphice, &
 philoſophicè
 eam hanc
 tractat &
 iubet ab

Insertus

Insertus calor ipse, & scitamenta decenti
 Eucrata sumpta loco, nec non Panacea paratis
 Ductibus educens cholera atramenta tenacis,
 Fercula praeerea, stomachi quae magna libido
 Optarit, despecta licet, fontesq; accersere succos,
 Nata, fugant hostem. Hinc epoto lacte liquente
 Conualuere aegri, victo vel amygdali Basso,
 Ingluue ut graui, bubula seu carne, Nefrendum
 Seu perna ingesta, quam olim vapor ater adussit.
 Mille modis fatuis optata pericula faustum
 Exhibuere diem, ut traxit sua quemq; voluptas.

vniuersa cor
 poris totius
 purgatione
 hunc modum
 esse adhiben-
 dum ubi dis-
 turnitate ni-
 mia molesta
 est feb., solet
 n. inquit
 Celsus, ubi
 ratio non
 adiuuat
 temeritas
 prodesse.



DE THERMIS
CENETENSIBVS
AD MICHAELEM-ANGELVM ROTAM
ASCLEPIADARVM PRÆCLARISSIMVM.

▪ Salsa.



ST Locus ignotus fama, qui dicitur *ASLAS,
Cilius Acediculis Nymphis gratissimus, æque
Herbarum, Salicumq; frequens, & diues Oliui,
Vrbem Palladium, Vallemq; interiacet Arctam
Arduus, & patulis spectatus Collibus ASLAS:

Delicia Pastorum ASLAS, atq; unica cura.

Hic pascebat oves olim inter amœna vireta
Thirenus placido Lycia succensus amore,
Candida cui Lycia ardenteis æquabat amores
Igne accensa pari. Dum oleas, umbrasq; sequuntur,
Alternosq; modo voces, & lumina miscent,
Exponuntq; ex more focos, tenerosq; vicissim
Corde trahunt gemitus oculis per mutua fixis,
Iuppiter extemplo Cælum caligine densa
Nubilat, & vacuum nimbis circum æthera complet;
Sæuit tempestas commixta grandine, tellus
Horribili reboat tonitru percussa, tremittq;
Crebrescitq; fragor ventis, cælumq; laceffit.
Quisq; suam repetit cryptam, & gurgustia læta,
Et Iouis, igniferiq; minas formidat olympi.
Lustra feræ, & volucres patula tutamina Sylvæ
Impulse repetunt, camposq; aurasq; relinquunt.
Cogere tunc Thirenus oves, viridifq; ligelli
Tecta subire celer, Lyciam prævertere gressu
Ingenti satagens studio: At (mirabile dictu)
Incautum. Miser, heu miser ille repente momordit
Tactus humum de cælo, soluunturq; calentes
Artus in cineres violentis ignibus vsti.

At Lycia

At Lycia egregium Iuuenem frondente sub antro
 Exspectans, damnansq; moras, & sydera saeva,
 Absentem vocat e specula; Vox nulla vocanti
 Redditur, & misera geminantur corde dolores.
 Anxia querit oues, Thirenium quarit anhelat
 Voce vocans, lustratq; vias indagine multa.
 Tandem prostratum aspiciens sub tramite curuo
 Thirenium amissa melioris imagine formæ
 Ter vocat, & mutos cineres perstringit, & umbras
 Pro socio (infelix), & olentia sulphura captat.
 Ex illo lacerata Comas, Pallamq; recisa
 Flere super cineres cepit noctesq; diesq;
 Imbreq; perpetuo latices formauit olentes,
 Sulphureos latices lenta salsugine mixtos,
 Quis volucres adstant varia, cantuq; perenni
 Ploranti Nympha querunt solacia Diuum
 Imperio. Illa tamen solari nescia puram
 Perpetua ditat lachrymarum lege scatebram.
 Hi sacri latices temere quos tangere palmis
 Grande nefas summos pariunt languentibus usus.
 Abluti diram scabiem, Psoramq; lepramq;
 Ritè abigunt. Ventres rigido mucore madentes
 Detergent hausli, expediuntq; subinde tenaces
 Infartus, Renesq; luunt, vacuantq; saburram
 Cunctaq; per ventrem illapsi praeordia lustrant
 Atq; imbecilles impresso robore ventres
 Firmant, admoti & cachectica membra resoluunt
 Extenuantq; pedes pallente cademate molles
 Et quot quot pituita parit, seu frigoris atri
 Vis mala. Accendens saluete sacerrima Collis
 Stagna, salutiferi fontes saluete, cadentis
 Natura columen, miseranda sortis imago
 Ipse equidem solnam solennia vota quotannis
 Natales celebrans festos, & thure Sabæo
 Auras insiciens, positoq; ex more Læo
 Aternos latices cytharis ad sydera tollam
 Tu verò Adriacæ Archiatros celeberrimus Urbis
 Pgonia Artis bonos Michael miseratus acerbum
 Fatum, virgineos luctus compesce per usus,
 Qui potes, & sanam latè diffunde medendo.

G

IOANNI

IOANNI STEPHANO

MEDICO ERVDITISSIMO.

LAVRENTIVS RAGOZIIVS.



Non est, cur seriùs ad me des litteras, quia a solidiori-
bus auocent me contemplationibus; ad has enim
potius animum meum a leuioribus traducunt. Fe-
bris Galenicam finitionem cum Masfaria, & Mer-
cato pulchrè tueris, & qua ratione viuat hecticus per-
mutato temperamento, ostendis. De imaginatione te in meam
sententiam venire gaudeo. De Cimbris, & Persis reportatè victo-
riè resecitè sunt Romæ eodem die Dæmonis ope, quo non aliud
velocius vllum. Magus ille non imaginatione, sed pacto, quod
ei cum Dæmone intercederet, menstrua, & semen mulieribus
ciebat; cuius pacti signum quædam verba sunt, quæ impij tunc
temporis profantur, cum ex foeminarum loculis vo-
lunt illa excrementa prolicere. In plenilunijs noctes hyeme cali-
diores sunt, quia Luna tunc permeat signa meridionalia; æstate
frigidiores, quia septemtrionalia; in interlunijs noctes hyeme
frigidiores, quia tunc Sol, & Luna signa septemtrionalia peragunt;
æstate calidiores, quia meridionalia. Sic dubitationi occurrunt
Astronomi. Secundùm Aristotelem videntur in plenilunijs,
quocunq; tempore anni, noctes calidiores esse.

*A. de part.
anim. cap. 5.*

*A. de gen.
anim. cap. 2.*

Inquit enim plenilunio Testacea pleniora conspici, non quia
per id tempus copiosius pascantur, vt quidam putant, sed
quod noctes tepidiores sint propter lucem plenioram, & alibi,
Sol, ait, per totum annum hyemem; atq; æstatem facit; at
Luna per mensem id agit, quod ita fit non accessu, discessuq;
Lunæ, sed alterum incremente luce, alterum decrecente.
Ex Aristotele igitur in plenilunijs omnibus temporibus, noctes
calidiores per se sunt, per accidens frigidiores. Experti sumus
hac sæuissima hyeme noctes in plenilunijs frigidissimas non per
se quidem, quia eximium Lunæ lumen calorem per se parit, sed
per

per accidens, bacchante Borea. Placet mihi distinctio tua. Valeant Astronomi, sequamur Aristotelem. Quò lucidior erit, plus caloris; quò obscurior, plus frigoris, luna faciet. Quid aliud de hac re tibi scribam, nescio.

Serenissimo Cosmo III. Magno Hetruriæ Duci VI. Cui Ioannes Collis Auunculus meus, Vrbinationum Ducis Archiater, librum nuncupat, composui præteritis diebus quædam carmina, quæ tibi mitto legenda, & emendanda. Scio te etiam his mansuetioribus studijs delectari. Versus tuos tuo Laurentio non inuideas, & bene valeas.

Belluni xxxi. Kal. Aprilis M DC XX.



G E A D

AD LAVRENTIVM RAGOZIVM
MEDICVM, ET PHILOSOPHV
PRÆSTANTISSIMVM.

LAVDAT CARMINA, QUÆ IN LAVDEM DVCIS HETRVRIÆ
PEPIGERAT, HINCQ; AVTHOREM COMMENDAT.



*TI*A ducentem nostram tua Musa camænam
Blando excitavit murmure ;
Quin Studium, mirumq; canendi insequit amorcm,
Vt nil magis me exerceat ;
Atq; voluntatem superante cupidine nostram
Frustrâ renitor parcere .
Qualiacunq; igitur dederit , cape carmina Laurens ,
Excitus astro spiritus .
Doctiloquos legi versus , magniq; Maronis
Dignos camæna nobili ,
Suscepitq; simul . Grauis emicat undiq; virtus ,
Et sedulo cultus labor .
Hinc Dux egregia laudis splendore decenti
Perfulget , hinc Hetruria .
Ast magis elucet rerum mirabilis ordo
Dictus cothurno congruo .
O felix , quicumq; tuo celebrabitur arcu ,
Dignasq; laudes sentiet
Quid quid habet Veneris , solidiq; Heliconius hortus
In te benigne contulit .
Dædalus ingenij , te Princeps artis Apollo
Donavit amplis munijs .
Per te Pierides cantant , loquiturq; Minerva ,
In te renident Gratia .
Quis tenui poterit versu perstringere laudes ,
Mentisq; præclaram indolem ?
Perge decus Phæbi , & præsentis gloria sæcli ,
Flos artium pulcherrime .
Grandis surgit bonos tacturus sydera , grandis
Rumor per orbem diditur .

Q A 5 3

IOANNI



IOANNI STEPHANO

MEDICO ERVDITISSIMO.

LAVRENTIVS RAGOZIVS. S.P.D.



VR æstate in plenilunio noctes frigidiores sint, omiſſa ratione Aſtronomorum, aliam non aſſero, aut aſſero, quàm tuam, frigidorū ſcilicet vaporum copiam aerem ex accidenti refrigerantium.

Trallianus Galeno adſcribit, eum verbis, & incantationibus vim in eſſe ſanandi morbos exiſtiſſe. Sed fallitur cum multis alijs, qui ſolis experimentis, ſicuti ſolo plantæ, adhæreſcunt; & quæ fieri cernunt, illis iſſis, quæ vident adhiberi, medijs assignant, & nihil ea curant, quæ non intuentur. In illis experimentis, vt anguis in herba, pactum cum cacodæmone latet, quod quidam nimis creduli Medici non cognouerunt. Quam naturalem vim morbos depellendi habere, verba poſſent? Si ſcribuntur, mortua ſunt, & omnis expertia energiæ: ſi ore proferuntur, aerem feriunt, & auditum afficiunt; ſed ſanitas non affecto auditu ſit, ſed immutato tactu, cū calidorum & frigidorum commenſuratio quædam ſit aut eorum, quæ ſunt intra, aut ad continens, ſecundum Ariſtotelem. Quam efficaciam in ſermone requiris, niſi vt animi affectus pa-
 7. Phyf. tex. 17.
 ,, tefaciat? ſunt ea, quæ ſunt in voce earum, quæ ſunt in anima,
 ,, paſſionem notæ, & ea, quæ ſcribuntur, eorum, quæ ſunt in
 ,, voce; inquit idem Ariſtoteles.

Obijcis. Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Ego *Virg. ecl. 8.*
 ſuperpondij loco addo Pſalmographi auctoritatem.

,, Furor illis ſecundum ſimilitudinem ſerpentis; ſicut aſpidis *Pſ. 57.*
 ,, ſurdæ, & obturantis aures ſuas, quæ non exaudiet vocem in-
 ,, cantantium, & venefici incantantis ſapienter.

Ad incantationem vt ad teſſeram cacodæmon aduolat, qui colubros vel exarmat, vel demulcet, vel ſopit, vel interimit.

Magus

Magus Salzburgensis cum vniuersos ad vnum milliare colubros in quendam foueam cogeret, ab vno eximio, & annis obfiso in eum irruente interemptus tandem fuit. Reliquos cacodæmon eo compulit, hunc nequaquam; verum in Magum concitauit. Si vi carminis alij in foueam compulsi fuissent, hic quoq; eadem vi in eandem descendisset.

Verbis igitur nulla vis secundum naturam inest; sed tantum trans naturam signa sunt magici pacti cum cacodæmone intercedentis; vel supra naturam, quatenus Christus seruator noster sacramentorum verbis, & sanctorum virorum precibus virtutem infundit. Hoc filo in hoc labyrintho errabunda rego vestigia; si tibi minus probabitur, doctiorem quæras Ariadnam, quæ firmitus præbeat: ego do, quod habeo.

Lætor carmina mea tibi non improbari: de tuis tibi gratias ago, & dico, quod Scaliger de Claudiano.

VI. Poet.

,, Maximus poeta Ioannes solo argumento ignobiliore oppref-
sus, addis de ingenio, quantum deest materiæ. Felix in te ca-
lor, cultus non inuitus, temperatum iudicium, dictio candi-
da, numeri non affectati.

Quo ignobilius argumentum suscepisti, eo maioribus laudibus extollendus es. Respondeo, ne immemoris, aut ingrati hominis notam subeam. Tu, qui meas nugas esse aliquid putas, ne hos quidem versiculos legere, quæ tuæ est humanitas, dedignaberis. Vale. Belluni. v. Kal. Aprilis M DC XX.

Otia Musa tua, vt fortis, fecundaq; surgat

Telluris instar arida,

Ducit, quæ hiberna glacie durata quieuit,

Vt vere fundat gramina.

Arcum campestris scythæ sic cauta arte relaxat

Vt tela mittat acrius.

Nunc stridore tuam exciui, aut clangore camænam

Velut cicadæ, aut anseris.

Et quanquam cygnus videor tibi, lætor amore

Te decipi magnum virum.

O vtinam, qualem celebras me versibus, essem?

Te gaudium patris canerem,

Et Stephanæ lumen gentis, suadæq; medullam,

Docta iuuenta principem,

Æonio

*Aonio ad Cenetos ducentem vertice Musas,
 Apollini carum caput,
 Cuius praeclaras Veneta exercebis in urbe
 Artes onustus gloria.*

*Namq; tuum nomen Medicos se se efferet inter,
 Quantum cupressi inter rubos,
 Inter aues quantum gestator fulminis ales,
 Et belluas inter leo.*

*Ast ego praecluptis inclusus montibus, alter
 Urgebo saxum Sisyphus.
 Prosequar omnibus faustis te curua petentem
 Maris superni littora.*

*In pelagus donec fluctus deuoluet Anaxus,
 Polo micabunt sydera.
 Squamigeri pisces ponti vada salsa natabunt,
 Ero tui semper memor.*

*Orabo, facilis Deus ut tua vota secundet,
 Seruetq; amicum te mihi.*






AD ILLVSTRISSIMVM
ATQ; REVERENDISSIMVM
MARCVM IVSTINIANVM
OLIM CENETENSIVM
ANTISTITEM VIGILANTISSIMVM

Exhastichon.

Mutus hiat Qulcunq; tuum percurrere nomeN.
Ac celebrare Vouet: Manes si Vatis Achæi
Rursus ab Elisij Surgant, si candidus vnA
Cycnus et Andæi, Timeant attingere plectroN:
Virtus, iustitæq; tenor super astra volatV
Se tollit Diuûm meritis consortia quarenS.

Aliud.

Pastor amans Superûm afflatu demittitur istuC
Religione nitens hæc ad florentia TempE
Æmula Thessalia, placido quæ lumine TitaN
Secreto gaudet lustrans cumulare fauorE.
Vah qu' m' tuta salus Ouibus, quàm mira resurge I
Laus, si dogma Ducis, sint & vestigia Curæ.



CA

AD

AD BERNARDVM COLLE

MEDICVM, ET PHILOSOPHV M EXIMIVM.

Conqueritur, diuitias duntaxat in pretio haberi, virtutes despici.

Non me procacis luxuries lucri,
Rerumve diues copia ad Adriam
Vocauit assuetum pusillo
Corycidas colere in ligello.

Non fastuose me studium togæ,
Auræve fallax ambitus anxie
Illexit ad myrtum canentem,

Atq; humiles Panaces legentem.

Fastus superbos obsequi, & inuidos

Aule tumultus, Iuppiter obstitit,

At pauperem concessit ultro

Arbutæ requiem sub umbra.

Hic me iocosas sepe laceßere

Iuuat Sorores, & strepitu fori

Spreto frui Thaumantis usu,

Et facilis genio Calippi.

Quiete dulci parta beatitas

Mentem recusat turbine concuti:

Cur vos molestus Dis reuellit,

Et malesuada fames habendi?

Nunc ære virtus ipsa minutior,

Et nil beatum, ni cluet aureo

Splendore tellum, sunt in auro

Attonitæ simulacra gentis.

Valete Muse: Veripotens Dea

Jam sceptrâ ponat: Ite per arduos

Colles ad argentes Scythas, &

Pierias colat Visa Musas.

In Colle nostro vernat Apollinis

Mens, & Sorores vertice florido

Ducunt choreas: Tu fugacem

Mnemosynes sobolem coerce.

Sit dulce tecum degere, & ingeni

Libare vires, dulce sit emori,

Qui negligis partas labore

Diuitias studiosus æqui.

H A D

AD IOANNEM BAPTISTAM
DOIONVM VIRVM NOBILEM.
ET PRIMARIÆ NOTÆ MEDICVM.

*Quomodo Pharmacorum vires in Aquas, olea, & cineres
distribuantur.*



Emper aqua hæsit, qui fiat, vt pharmacorum vires, per infusionem, aut Decoctionem, in liquorem transfundantur, quum eadem in proprio subiecto permaneant nihilo magis imminuta, vt cuiq; periculum facere licet. Sanè cum vires, & facultates medicamentorum formam aliquam consequantur, ea autem indiuidua sit, vni tantum germano subiecto insit, oportet quod si vni præsto sit, quomodo virtutes, quum sint accidentia; quæ necessariò propriæ inhærent substantiæ, particulis pluribus adsunt? Sanè ni, facultates illas liquore exceptas sine formæ præsentia consistere concedas, illud des, oportet, formam esse diuiduam, & se veluti Hippolytum discerpi patientem. Reclamas An doctissimo applaudis Fernelio, formam quippe vires suas subiecto vsq; adeò imprimere, vt illæ absente etiamnum forma remaneant in qualibet compositi parte exceptæ? Ita esse, Alchimia Doctores facile demonstrant, qui suo Vulcano Aquâ, oleum, & cineres exprimunt iisdem facultatibus obfita. An minime incongruum, per se indiuisilem formam ex euentu suppositi subire conditionem, atq; adeò delibari, diuidiq; eius integritatem? Tuum vir clarissime expecto, expetoq; iudicium, quod mihi instar erit omnium, spero enim futurum, vt ex Hippocrate, quem quotidie concoquis, & diurna, nocturna; volutas manu, aliquid in medium afferas, quod mihi ex oculis hæc tenebras discutiat. Vale. meq; in tuo habeas ære.

C A H

ADVER;



ADVERSUS QVOSDAM NEOTERICOS,
QVI VESICANTIA, ET HYDROTICA,
SEV DIAPHORETICA TEMERE ADHIBENT

IN PRINCIPIIS MORBORVM. ANNO MDCXXIX.

AD IO. BAPTISTAM ROTAM E. D. CASSIANO.



Apienter Herophilus medicamenta *θεῶν χειρὸς*
Deorum manus appellabat, si a perito Medico
vsurpentur, si ab imperito, venena, neq; enim in
sola remedij inuentione consistit Therapeutice,
vt si refrigerandum, aut euacuandum protinus
lactuca, aut catharticum sit exhibendum, sed vsus
potissimum est discutiendus, qua dosi, quo tempore, quo modo,
& quo deniq; loco sint administranda præsidia; quis enim non
videt frustra summis, & crudelibus remedijs laxari, fatigariq; eos,
qui a sanitatis limite parum abscedunt? Quis mecum palam non
prostituteatur, imò cum diuino Hippocrate perperam crudos hu-
mores in principiis morborum educi, aut commoueri nullo tur-
gentiæ, aut gæsmi impellente metu?

Videas tamen hac tempestate (proh dolor) quàm plurimos
alogos, & inertes Medicos, qui Andabatarum more clausis oculis
nullo discrimine ægros suis vesicantibus destinant etiam a totius
morbicarceribus, quin etiam, si Dijs placet, hydrotica propinant,
vt exanthematum eruptionem promoueant, cucurbitulas ad-
mouent, frictions, & Hesiodi illitum illa innixi sententiola per-
peram intellecta. *Quæ ducere oportet, quò maxime natura vergit,*
per loca conferentia, eò ducere conuenit. Cuius hic est germanus in-
tellectus. Quum Hipp. in priori aphorismo decreuisset nihil esse
moliendum, vbi natura integrè, & perfectè exturbat morbige-
num humorem, sed tum modò, cum diminutè, & parçè adniti-
tur, docet, neutiquam oblectari nos, aut reniti naturæ conatibus
fas esse, verum imitari maxime, dummodo per loca conferentia
sibi viam moliat ad euacuationem. Columen huic rationi su-
bijeit Galenus in commento, quia, inquit, opus est Medico

*Aphor. XXI.
sect. p.*

H 2 natu-

naturam ritè operantem imitari, tunc verò ritè agit, quando per loca conferentia lustrationem, euacuationemq; molitur, eo igitur tempore Medicum naturam sectari, & promouere decet. Quòd si humores ad loca incongrua impetum fecerint, non amplius adiuuandi sunt conatus illi, tunc enim natura perperam, & minus ritè agit, quo tempore distrahenda est euacuatio, vel transferenda, vel diuertenda: Hinc est colligere, naturæ etiam enormiter operanti non esse resistendum adstringentibus, & apocru-
flicis, sed diuertendam esse naturam.

*Aph. XXII.
sect. prima.*

Quæ cum hæcenus confecisset Hipp. mirabili artificio, admonet, quando ritè, rectèq; operetur natura, sequenti Aphorismo, dum ait; *Concocta medicari, & mouere, non cruda, neq; in principijs, modò non turgeant, plurima verò non turgent.* Operæ enim pretium est, vt quando natura non euacuat, Medicus concoctam materiam educat tum cathartico, tum alijs medicamentis, quod si materia cruda fuerit, tunc neq; purganda, neq; mouenda, dummodo furens, & errabunda non sit. Huius autem haud ea est ratio, quam amusi quidam comminiscuntur, quòd nondum sint adæquati humores, (vtuntur Auic. vocabulò) & parati ad purgationem, aut quia non dum nacti sint eam similitudinem, quæ intercedere debet inter medicamentum, & humorem, quod voluit Mercatus vir alioquin doctissimus, verum quia nondum genitum est excrementum, quod sola producit digestio noxij ab innoxio segregatione.

*2. de Diff.
feb.*

Hinc dicebat Galenus, quemadmodum nefas est aperire vomitum, priusquam confectum sit pus, ita nec pharmaco per febres putrescentem in venis materiam attrahere licet, antequam concocta sit quia aut nihil, aut cum malo frugi etiam humor summo cum labore, & ægri detrimento euocabitur: In quam sententiam Gal. Sic scriptum reliquit. Qui indigestam materiam euacuare nititur destruit loca sana resistentia ægritudini nihil euacuans materiæ. Philosophus verò in Probl. quærit, cur neq; concumbere, neq; euomere, nec siernuere, neq; flatum emittere oportet, nisi res turgente corpore vrgeat.

*4. part. Aph.
6. p. de Cris.
9. sect. prob. 8*

Cui certè problemati scitè, & ad Hippocratis mentem respondit. An quia, inquit, cum non turgemus similes terræ stirpibus, sumus, quibus euulsis, aut alienum conuellitur quippiam, aut aliquid abscissum relinquitur. Quod autem cum extrudi debet, minutum remanserit, dolorem diutius id omne mouebit. Et si quid alienum commotum sit, id cum sua sede priuatur, dolorem

dolorem creabit : Quæ certè ijs vsu euenient, qui cum non turgent, aliquid faciunt ex ijs, quæ modò retulimus.

Quæ cum ita sint, quo se se vultu in conspectum dedit amethodi illi Acesiæ Dodonæo ære loquaciores, quibus nil nisi tricæ, & logicæ argutiolæ sunt cordi, qui sine arte, & vilo discrimine primo morbi insultu ægrotantibus phænigmos admouent? Illud summopere rescire velim, cuiam destinentur illa cacodæmonum inuenta, morbone, causæ, an symptomati? (neq; enim sunt plura, quæ præsidia postulent).

Morbo haud crediderim, ni perniciosissimo Paracelfo adscribere velint contrarium suæ Medicinæ fundamentum iacenti (similia similibus curari) contra Hipp. & Galeni dogmata, quæ ratio, & omnium consensus, tot seculis confirmavit; siquidem vesicantia non modò calfacientia sunt, sed etiam vrentia, febris verò intemperies calida cordis, & totius corporis (mitto volens siccitatem, vtpote quæ nisi hecicis sit essentialis) tale autem additum tali, vt ait Apponensis, facit ipsum furere. Quare perinde est, ac si igni adiiciatur ignis. Nec est, quòd Capiuacceus, multiq; alij nobis obtrudant, ex euentu phænigmos refrigerare educta caloris causæ, quemadmodum, & rheum barbarum, & radix apij, aut feniculi febres remouent, steriticos, si non enanthiòs aduersantia causæ, enim verò non accidentarius, & contingens effectus spectandus est, sed qui necessariò sequitur, & semper, calidi verò est calfacere, quia accidentium productio a simili fit, & vnius causæ vnicus est effectus.

Rheum verò & radix feniculi proximarum causarum eductione, & expulsionem febribus prodesse solent, si non importunè vsurpentur, horum enim indecens vsus tam noxius est, quàm vesicantium.

Porro neque causæ, nam per bullas, & vesicas superficialia duntaxat serositas educitur, quæ neq; antecedit, neq; proximè morbum committit, in his enim feb. aut bilis, aut tota massa sanguinea efferuescit, & putret, aut certè eius ichores in penitissimis venis: Sed faciamus, educere & euocare morbi causam, si non coniunctam, saltem antecedentem, licetne eam mouere prius quàm cocta, & digesta sit? Mihi non videtur, si modò Hippocrati stare velimus, nec est, cur retorqueant turgentiam, aut veneficam naturam, illi enim debetur pharmacum, huic antipharmacum, non vesicans. Dicent fortassis symptomati decerni. Siccine? At huic non decernuntur remedia, quum sequatur morbum, veluti

velut corpus umbra, & ad morbi summotionem euanescat, est enim epigenematicum.

Verumtamen sunt quædam symptomata, quæ usque adeo ingrauescunt, & sæuiunt, ut ad se totum medentis consilium trahant, ut puta vigilia pertinax, immanis capitis dolor, delirium, syncope, cardiaca passio, cardialgia, insignis aliqua effluxio, quibus sanè utpote vires deicientibus, & morbum augentibus succurrendum est artis auxilio; Duoque sunt potissimum, quæ phænigmorum admotionem desiderant, impetus quippe humorum ad caput, unde impendeat paraphrosine, somnolentus torpor, aut aliquis alius grauis affectus, tunc enim si extremis artubus adplicentur, reuellunt, retrahuntque errabundam, & furentem materiam; Et extremarum partium algescentia, & refrigeratio, cum interim viscera intus flagrantia torreantur, huiusmodi enim metasyncritica sunt, & ab alto foras calorem euocant, & retorrیدا viscera alleuant, & ægros commodis augent, cæterum si temerè experiri velimus vesicantia his circumcisis affectionibus, plurimis cumulamur damnis languentium corpora. Cunctanter igitur posthac agant, qui tam facillè hæc extrema remedia usurpant.

At multo deterius sese gerunt, qui pulicum morfu apparente quam mox diaphoretica, & hydrotica propinant phantastica eëthymatum, & exanthematum specie falsi. Hoc enim pacto amplius in feruorem agunt sanguinem, putrediniq; parant, & maleficæ qualitati subiiciunt, quod tanto reformidat opere Arabum familia, quæ etiamnum austerâ, & sîptica iniitijs præscribit, ne spiritus lancinentur, & dissipentur, ne sanguis per ebullitionem putrescat, & corumpatur. Imitantur, inquiunt, naturæ motum, qui Trincauelli sententia medius est inter criticum, & symptomaticum. Nugæ. Tunc naturam imitari oportet, quum rectè agit, rectè autem agit non modo quum ad loca conuenientia vergit, sed quum præcedente coctione, die critico, cum ægri euphoria morbi causam expellit, imminutè tamen, ut artis auxilio opus habeat.

Morborum autem iniitijs putasne vi morbi, an naturæ decreto euacuationes fieri? Quod si vi morbi contingant, cur illis manus porrigimus, & imus subsidio? Medici munus est, atque officium curare appositè ad sanandum, appositè autem curat, qui citò, tutò, & iucundè remedia confert. Curatio autem talis initur, cum recta, & conueniens sit remedium usurpatio. Remedia vocamus, quæcumque corporis affectum præter naturam depellunt;

non

non

non quæ subsidio sunt, horum verò recta, & conueniens, est usurpatio, quum idonea quantitate, & modo, rationeq; congrua adhibentur, atq; in his curatio omnis consistit.

• Tria igitur sunt, quibus ars omnis medendi constituitur:

• Remedij genus, quantitas, & vtendi ratio.

• Remedij genus, vt planius cognosci possit, discernendum;

• vnumne, an multa esse oporteat, si vnum simplex ne. an. com-

positum, si multa, simulne omnia, an sigillatim, & quo quæq;

• ordine afferenda sint?

• Atq; hæc recta censenda est methodus. Quantitas rectè de-

signabitur, si constet, quàm validum remedium quo gradu re-

cessus a mediocri, quo pondere, quoties, & quandiu exhiben-

dum est: Vtendi ratio explicat, per quæ loca abigendus mor-

bis est, cui sedi adhibenda remedia, qua forma, quo morbi

tempore, quæue hora.

Hæc igitur omnia nosse oportet, vt conueniens fiat remedio-

rum usurpatio. Quum enim remedium conuenienti quantitate,

& ratione adhibetur, arte curatio succedit.

Ad quæ vniuersa colliment, oportet posthac nostrates Medici,

qui nullo iudicio remedia usurpant. Multa suppeterent ad hanc

rem facientia, sed satis sit digitum ad fontem intendisse. Vale.

Prid. Kal. Aug. M DC XXIX.



AD EXIMIVM MEDICVM IOANNEM BAPTISTAM ROTAM

D. CASSIANI.

CONSULTATIO PRO ILLVSTRISSIMO COMITE LVE
GALLICA INFECTO.

post Hipp.
Lib. de vet.
med.



Aturam quadam contrariorum vicissitudine lætari, & a Galeno, & ab Arist. olim proditum fuit, id quod exemplo demonstravit Socrates, quum solutus virgulis sibi genu perfricuit, & inde cruor emanavit, nescio, inquit, quomodo se consequuntur voluptas, & dolor, quam calamitatem commodè inclytus hic vir, qui se nobis curandum exhibet, deslere, & deplorare potest, ipse enim pro suæ fortunæ conditione summis voluptatibus delibutus, & imbutus sibi necessariam multorum dolorum consecutionem intulit.

Sed quoniam rectum est iudex sui, & obliqui, res naturales nostri languentis præmittere iustum est, ut rerum præter naturam, quibus affligitur, idea, & magnitudo evidentius pateant.

Est igitur illustrissimus vir quadragenarius, calida, siccaq; temper. præditus, cui imprimis immodico viscera torrentur æstu, ventriculus, ut par est, imbecillior, cap. humore utrunq; diffluit: olim genio, abdominiq; suo deditus, & in veneris illecebras proclivior incauto vestigio miser in luem gallicam incidit, quam hætenus eluere non potuit; quamobrem cum diutissimè delitescendo altas in iecinore egerit radices, tandem non sine fœnore multiplici malorum fructuum genere stipata effloruit. Sunt autem eiusmodi; fœda, & pruriginosa scabies rotundo schemate toto corpore continenter emanans non sine ingenti sculptum excipiente dolore: lassitudo: dolor medios occupans artus, quæ vniuersa de uexo sole incandescunt, & efferantur, ut nihil sit propius, quàm febricula, adeo ut totam ferè in somnis agat

Q A

agat noctem. Huc accedit prægrandis lienis tumor, & falsi-
sculus catharrus in fauces deciduus, quibus comes it Syphilis;
Nunc ea nobis incumbit cura, ut singula in suas causas refera-
mus, ut agendorum ratio evidentius constet.

Iecur itaq; natura calidum a coeſſu luis venereæ, quæ in vapido
quodam, & summè putri excremento latitat, amplius incanduit
æſtu, hinc craſſi, exuſti, & mordacis ſanguinis proventus, qui ad
ſuperficiem vna cum ichoribus protrufus pruritum primò, mox
ſcabiem commiſit; ſcædam nempe cutis turpitudinem, (æquum
enim eſt, ut ſanguis toto corpore vitiatuſ arguat eiſ naturale
principium læſum); portio verò humoris craſſior ad mufculos
effuſa laſſitudinem; h. e. voluntarij motus imminutionem inge-
nuit, at quæ periſtijs adhaſit, dolorem.

Quæ omnia veſperi inualeſcunt, quòd iuxta eiſ idiotropiam
humorater tunc temporis commouetur, & æſtuat, quare ſuſci-
tatis calidis vaporibus ad cor, & caput elatis, & totum incaleſcit;
& perſigilium committitur, auctus enim calor ſpiritus omnes
ſuſq; deq; agit, ut nequeat paſſa anathymiaſis collectis ſpiritibus
primum vincere ſenſorium, ſouentur tamen vigiliæ a pèrenni
rerum agendarum cogitatione; hic enim vir domum, ut aiunt;
gerit. Lien altiore agnoſcit cauſam, ab hinc enim ſeptennium,
cum medici refrigerando hepati ſtuderent, incautè lieni labem
inuſerunt, quare ſolito imbecillior commiſſum alimentum
coſſicere haud valens multum congeſſit excrementi, vnde intumuit;
& hinc etiam augetur melanch. humoris proventus, cum
lien ſuo ſuperſedeat officio. Deſtillatione conſequitur humidam
cap. intemp. & viſcerum natalium feruorem, rectè enim Auic.
notauit, eos, quibus æſtuat iecur, diſtillationibus opportunos eſſe.
Salfedo fit ex aduſtis vaporibus tenui cap. pituita commiſtiſ.
At lues ex foedo concubitu contracta iam pridem fuit, quæ nihil
eſt aliud, quàm præter naturam diatheſis a vago, & etherogeneo
vapore tota ſubſt. in corp. hum. agente, neq; enim audiendi ſunt
poſthac, qui luem morbum eſſe diſſentent, ſed excrementum
euntaxat eſſe volunt per modum externi erroris oblædens.

Hinc hæ ducuntur indicationes. Iecur refrigerandum, & hu-
meſtandum, ſtomachus roborandus, caput perſiccandum, vitioſi
humores vacuandi, ſcabies detergentia, & ſiccantia poſtulat;
humores craſſi, quibus intumuit lien, incidentia, attenuantia,
mollientia, deniq; ſenſibiliter, & inſenſibiliter euacuantia; lues
proprium deſiderata alexipharmacum.

Methodus.

I In quo-

Prognosis.

In quorum affectuum multiplicitate vix scio, quam feram sententiam, nam si lui, & vitiato hepatis oculos adijciam, se mihi morbus offert multiplici nomine magnus, neq; minorem præbet difficultatem lienis labes. Attamen quia ægrum, affidentes, & exteriora omnia nacti sumus, quæ se opportuna facientia præstabunt, hinc non minimam spem concipio futurum, ut affectuum maxima pars propulsetur, reliqua ita lenitum iri, ut nollum, aut minimum posthac facessant negotium.

Reliquum modò est, ut remediorum materias perstringam. Et quod spectat ad chirurgiam expiata prima corporis regione mittendus sanguis aduncis, & amplius procedente curatione ad-movenda humidæ cucurbitula, ut vitiosus sanguis, qui cuti subest, educatur, tandem cauterium sinistro brachio inurendum ratione cap. nec minus sinistro femori male affecti lienis gratia. In calce uniuersæ curationis ad extergendas sordes commendatur balneum.

Quod ad Pharmaciam attinet, primum cassia cum catholico offerenda ad sentinam exhauriendam, mox instituenda propinmata ex syr. de cychorio, borrag. end. diluta cum aq; hord. aut ambubeis, post quartum diem propinanda est infusio rhei ex D. Fl. & fr. card. & sol. fennæ. Post die purgationis, tundenda vena basyl. dextri brachij, ut secunda corporis regio inanietur, tum iteranda serapia e succo oxalidis, buglossi, fumariæ diluta ex D. agrim. fumariæ, cuscute, fenchij, sem. mel. Post septem dies purgandum corpus ex conf. Hamachi, & el. len. Exhausta secunda regione affligenda erunt cucurbitula scapulis, humeris, ilibus, clunibus, femoribus, cætera item poterunt inuri. Interea aliquantisper intermittendus remediorum usus, ut vires resumantur.

Resectis viribus properandum ad Guaiaci D. ut tertia corporis regio inanietur, & iuis venereæ seminaria radicitus, si fieri potest, euellantur, & coterantur. Neq; enim pertimescenda est ligni caliditas, ut meticulosi medicis contingit, inter quos recensere licet Amat. Lusitanu, qui G. p. grauius debacchatur & detestatur medicos, qui naturis calidioribus guaiacum offerunt; non est, inquam, pertimescenda, nam quæ proprietate inuac teste Gal. lib. Simpl. omni tēpore, & omnibus temper. profunt, & proficiunt; accedat experientia testis, quæ docet multos gracilentos, & ferè tabidos, ut ait Fern. vsu Guaiacinae D. pingues, & obesos euasisse.

Sed hoc me præ cæteris mouet, quod Guaiacum verum &

unicum

unicum est luis Alexipharmacum, id quod hac consequor conie-
ctura. Natura, quæ præterea perhibetur, ubi morbum, ibi
& remedium posuit, atqui lues, quemadmodum guaiacum; est
vernacula Indis, quare credibile est, lignum esse verum alexi-
pharmacum, quod tam longo usu comprobatum est. Sed enim
cum lues totius subit. proprietate agat in corpus humanum, reli-
quum est, ut & remedium tacito quodam, & arcano dissen-
su resistat, & opponatur, & quemadmodum vnica cuiusq; est spe-
cifica forma, ita & proprietas, unde ni velimus rerum naturas
confundere, fatendum, vnius speciei esse verum luis alexiphar-
macum, ne nobis posthac obtudant iuniores rad. chinæ, falsæ
parillæ, hydrargiri-^{sim}, & suffitum ex cinnabari, quæ scimus
maximam partem conferre ad curationem luis gallicæ, quate-
nus excrementa, ubi residere videtur lues, propulsant, quam sen-
tentiam mordicus tuetur Capiuacceus existimans, ideo tantum
morbi superari, quod roborata excretrice excrementa propellun-
tur foras, quibus cum abijt lues, quod etsi lubenter admitto, maius
tamen aliquid desiderari contendo, ni velimus, medicamenta
omnia, quæ cum partium tenuitate calida, siccaq; sunt, idem
præstare possint beneficium, quod dictu nefas est.

Conclusum igitur sit Guaiacum esse verum luis alexiphar-
macum, cuius D. primis diebus dilutiorem propinari volo, ut natura
paulatim assuescat, & in fine D. adijcienda erunt cychoracea, &
rumicis quodlibet genus, & præterea cetrachum. Perfene-
randum 40 dies, tanta enim est morbi actio, & singulis denis die-
bus alijs sollicitanda infusione fennæ propinata. interim cap.
prospiciendum insperfo pul. persiccante lieni admoto yng. ma-
lactico, & digerente, quale fuerit illud, quod ab Amat. Cent.
p. præscribitur. Iecinori consulendum cerato santalino, conf. ros.
borrag. cych. pulu. triasant.

Postremum ad cutis deterisionem parandum est balneum, in
quod ingreditur ager.

Et scabies spuma ex D. collecta oblinenda, ut fieri solet.

Conualuit; & iam pancreaticè se habet.



PRO COMITE FEBRE CONTINVA ET MOLESTISSIMO CATHARRO LABORANTE

CONSULTATIO

AD INSIGNES MEDICOS HIPPOLYTVM PELLICCIAM,
ET IO. BAPTISTAM ROTAM.

2. *Phyf.*



Vamquam olim ab Arist. prodictum est, artem non
deliberare, hoc tamen perpetuum non esse; Ars
Medica palam demonstrat, quæ inter floccasticas
nempe coniecturales a Platone, & a Galeno cen-
setur; hinc ille Medicus peritior habetur, & ad
veritatem propius accedit, qui acutius non
conijcere. Tunc vero difficilior euadit coniectura, quum morbi
speciem nulla produunt recurrenda signa; sed communia quædam
duntaxat anemiculorum animi ferunt; scitem enim est, ex sen-
sibilibus intellectilia colligi, quum accidentia magnam partem
conferant, si sint propria, ad cognoscendam rei naturam; pro-
pterea Gal. ex symptomatis, inquit, morbi species dignoscitur;
ex eorundem magnitudine morbi magnitudo.

3. *Cr.*

Quod si similitudo quædam animum ludat, solus est Artificis
Apolinea arte informati similium differentias, ut ait Hipp. &
differentium similitudines internoscere. Non est igitur mirum,
si hodierna die inter consultandum, deliberandumq; tot opinio-
num myriades emerferint, morbi enim causa, species, & sedes
affecta in penitissimis corporis partibus delitescunt, ut admodum
artificiali coniectura sit opus. Constans tamen est, & in confesso
misellum ægotantem rheumate, febricula, (quæ vespere incan-
descunt, & efferantur) molestissima tussi tentari, & affligi, macies
ossa denudat, pallor ora decolorat.

*Lib. de off.
g. meth.*

Quid plura? Luctus ubiq; timor, & plurima mortis imago.
Constant hæc sanè sed quæ sit morbi idea, eius continens causa,
& præcipua sedes affecta, nondum in vniuersum constat. Sed ut
rem facilius conficiamus, ex Gal. præcepto millies inculcato res
naturales egroti præmittamus, rectum enim est iudex sui, &
obliqui;

PRO : I

obliqui; hinc exclamabat Gal. 9. meth. nos non posse medica-
torias indicationes scire languentium temper. ignorato, & lib. 1.
de comp. med. S. L. temperamenti cognitio, inquit curationem
indicat, qui enim scias, quantus sit a naturali statu recessus, ni-
cum prænors?

Lib. de art.
ad Glanc.

Cum itaq; totius corporis temperamentum principum par-
tium, potissimum cordis, & iocinoris naturam sequatur, harum
partium discenda temperies. Ex Heticis notis, audacia, animi
ad actiones promptitudine & alacritate, ira: Ex phýsics, pulsus
celeritate, magnitudine, pectoris latitudine, quod non est gla-
brum, sed hispidum, & hirsutum, colligimus calidissimum esse
cor, & siccum. Hepar item calidum esse, ex eo facile deprehen-
ditur, quòd venæ sunt late, & corpus prus quàm morbis impli-
gitum esset, erat eufarcum, & decoræ habitudinis, accedit & ve-
nerea lues, quæ intemperiem auxit, & pravam indidit diathesim.
Hinc verò conficitur, totius temperamentum esse calidum, &
siccum, quod fortassis ante vitæ victusq; errores, & ægritudines
erat humidum.

In continen-
tia.

Ventriculum humidum & frigidum esse suspicor, & multæ
feracem pituitæ, ita enim vsu venire solet ijs, quibus iecur est
retorridum, & nimia vtuntur venere. Mitto alia signa. Caput,
si Hipp. & Gal. credimus calidum siccumq; est, hoc autem cal-
uitio detegitur, sensuum integritate, auget coniecturam pericu-
lum ex tabaco factum. Quæ cum, vt ego planè sentio, ita sint,
proximum est, vt singulos affectus in suas caussas reducamus.
Caput, quod calidum, siccumq; fecimus, natura excrementis
vacare deberet, tribus tamen de caussis scatet, tum quia intem-
peratum est, (omnis enim intemperies deijcit actum propriæ
facultatis, vnde excrementa succrescere, est necessum), tum quia
plus attrahit, (quum sit calidum) quàm conficiendo sit, denique
quia iecur æstuans multos tollit ad cerebrum vapores, vnde rectè
notauit Auic. opportunos esse catharris, quibus iecur, atq; adeo
tota sanguinis massa torretur: Huc accedit ventriculus, qui &
ipse caput sua imbecillitate damnis auget, vt iure scripserit Hipp.
omnes morbos, qui capiti contingunt, ex ventriculo proficisci,
ex imperfecta enim coctione plurima vaporum soboles ad cere-
brum effertur, quæ sui parentis h. e. cruditatis naturam redolet.
Cum itaq; ita sese res habeat, non est mirum si pituitosi, & biliosi
excrementi prouentus in cerebro congeritur (cerebrum enim
pituitæ locus, & metropolis statuitur Hippocrati, & Galeno

Lib. de str.
hom. in Art.
parua.

Lib. de struet.
Accedit obie-
cti scil. sang.
praua condi-
tio, quod
ex flauo-
scentie spur
colligitur.

quan-

quantumvis per caliditatem, aliquando excedat) quod expulsi-
cis, & naturæ impetus secutum in pectoris cavitate decubuit,
vbi spiritum interceptum tussim excitavit, per moram verò pu-
truit, (omne enim humidum loco calido conclusum, nisi diffletur
putrescit) ex putredine congenæ fuligines ad cor delatæ, cali-
dum eius innatum auxerunt, & hinc feb. suborta est, quam ego
duplicem tertianam spuriam statuo, eamq; perennem, etsi manè
mitescere, & delitescere videatur. ut enim ex viridi ligno semper
aliquid effumat, ita cruda pituita, cum maximè hanc procul a
corde putrescit, putidos exhalat usq; vapores cordi noxios.
Macies autem excipit cordis, atq; adeo totius calidam, & siccam
intemperiem, & luis venereæ pravam diathesim. Hæc est morbi
species in suas causas redacta, neq; viscerum, & præcordiorum
obstructiones huc faciunt, si velimus duarum febrium implexum
instituire, quod binæ putredinis mineræ parere consueverunt.

*Lib. 3. F. 3.
et. 5. cap. 18.*

Neq; Phthysios altera differentia est, cum perpetuò sequatur
pulmonum vlcus, quod hæctica febris excipit, neq; Auic. aliter
sensit, cum scripsit. Hæc vlcera aut sunt in pectore, aut in velamine,
aut sunt in pulmone, & ista diuisio ultima est phthysis, aut est in
canna &c.

Methodus.

Neq; quod reijcitur, & expectoratur est pus, sed aliquid pyo-
des, quod experientia patuit; pituita enim, vbi sensit putredi-
nem, in eam euadit naturam, sanguis verò solus, & alumnus
humor in pus facessit. Cæterum adesse lues gallicam, minimè
ambigo. Curandi ergo methodus ea erit, vt pituita in pulmone
putrescens incidatur, attenuetur, detergatur, concoquatur, &
deniq; extirpetur, vt prauo motu illabitur in pulmones, alio
uertatur, cerebri discrasia per contrarium tollatur, pulmones,
ne tam facile recipiant, roborentur proprietatem ipsam respi-
cientibus, iecur refrigerantia postulat, ventriculus calfacientia,
& siccantia, febris frigida, & humida, lues proprium alexiphar-
macum.

Prognosis.

Quid verò statuas in hac multigena rerum difficultate?
Morbus enim duplici nomine magnus est, siquidem grandis est
recessus a naturali statu, & multa pituita redundat in bilioso
corpore, & macies, & pallor ora decoloret, quæ antea in eufarco
corpore florebant; adest vehementia dignitatis, siquidem labo-
rant omnes principes particule, & quod deterius est contrarias
præbent indicationes, ijs comes it scyphilis, seu gallica lues,
quæ omnia contumaciora, & perniciosiora reddit, Equidem
vereor,

vereor, ne tandem in heticam deficiat febris, ni cito succurra-
tur languenti, quæcunq; enim destillationes (vt est medicum
axioma) ni tempore conquiescent, alteram faciunt tabis diffe-
rentiam. At vero quoniam mala nondum malignitatis apicem
attigere, age percurramus, obiterq; perstringamus, quæ sunt vsui
futura.

Ex churgico fonte sanguinis missio probatur per epistram,
sed ad motis hyrudinibus venas ani aperiri velim, melancholicus
enim, & præustus sanguis in visceribus æstuat, qui per inferiora
commodius teste Hipp. euacuatur, neq; tanta sit virium dissipa-
tio, sanguis enim peccat, vt fouens causa, & sine qua tuto curatio
initium non potest. Cauterium dextro femori iustum maximo erit
vsui. Succedente tempore, si feb. in aliam speciem deficere vi-
deatur, non improbabitur balneum.

Ex Pharmacia non sunt abdicanda euacuantia mitio-
ra. mel ros. sol. vnâ cum manna calabrensi, cassia cum
cremore tartari inter initia conueniunt. Si cum aceto
millo syr. de farsara, aut adianthinus vnâ cum syr. viol. propi-
netur, ritè parabitur materia tum expectorationi, tum purga-
tioni. Agaricus vnâ cum oxymelite ad purgandam pituitam
erit congruus. Conferet & cassia vnâ cum rheubarbaro, aut tan-
tillo electario e dactylis. Radices enulæ, ireos, ari, dracunculi
infusæ, aut conditæ, & ex arte exhibitæ erunt vsui, conferentq;
ad educendam e pulmonibus pituitam. Myrrhidis decoctio a
Dioscoride commendatur. Sunt, qui tabaci D. efferant. Sul-
phuris flores citra periculum adhiberi non possunt: si non prosis,
vide, ne noceas.

Repetantur blandæ purgationes, quæ materiæ portionem
educant illibatis viribus. Solis bechiæ euelli non potest morbi
radix, vsurpari tamen debent. Mel Ibericum non præstabit,
quod contenditur, ni diluatur, quemadmodum, diximus, nam
angusta loca non permeat, ut notauit Gal. Syr. de hysopo. de
prassio, de tussilagine summis pollent uiribus, crocus adijci posset,
cum sit pulmonum uita, sed ob feb. & quia est carebaricos omit-
tatur. Saccharum rosaceum est perniciosum, & nulli vsui est, si
pectus spectemus. Theriaca febrem scheticam heticam efficiet,
propterea prius quàm febris non decessit, tuto usurpari non po-
test. Gargarismi, & masticatoria erunt noxia, maior enim pars
prolectæ pituitæ in pulmones deerrabit. Conueniunt erina,
sed mitiora, quæ materiam non agitent, huiusmodi erit Aq.
hordei,

hordei, in qua dissoluta sit manna, aut syr. ros. pall. comp. cum agarico.

Maxima curationis spes reposita est in usu D. Chynæ, quæ ita præscribi debet, ut admittat farfaram, mentham, & cythorei genus aliquid, mentha, & cythorium uentriculum respiciens, & iecur, farfara pulmoni prospiciet. Malim fieri infusionem in iusculo pulli, quam turricolæ palumbis. Si febris summo uideatur pro uisco quercino sufficiatur lignum guaiacinum, hoc enim specificum est luis Alexipharmacum. Roborabitur caput, si saccharum ros. una cum conserua fl. anthos quotidie deuoretur, pulmoni quoque consules, si adijeas aliquid pulmonaria, aut pulmonis Vulpini. Si superesse iecoris intemperies uideatur, iusculis multo cythorio temperatis afficiatur. Si stomachus ferat, hæc æstate hauriat serum. Stomachus, litu, fotu, stillicidio decenti, sumptis tabellis, electarijs roboretur. Vinum penitus circumcidendum. Quibus si nil proficitur, conclamatum esse certo scimus, quod D. o. m. omenauertat.

Tabidus ob incongruam absimilium medicamentorum usum, pationem diem obiit.

PRO

PRO

PRO FORMOSA HEROIDE

HYPOCHONDRIACA MELANCHOLIA IMPLICITA

CONSULTATIO

AD HIERONYMUM CORTE PORTVS-GRÆCII MEDICO-
PHYSICVM PVBLICO HONORARIO CONDECORATVM.



Non est mirum, si Galenus Medicinam inter artes reposuerit, quas Plato in Philebo *σοφιστικὰς* appellat, quæ *σοφιστικὰς* veritatem inquirunt; nulla enim ratione nostris patefcunt sensibus intimæ affectiones, quas Hipp. & cognitu, & curatu difficiles vocauit, quocirca artificiosa coniectura multiplici signorum genere stipata (neq; enim, vt in rebus naturæ, quarum est ordo, ex vno proprio signo, sed ex syndrome, morbi speciem colligere, phas est) interiorum affectuum vides diaphoræ nobis innotescunt, hinc fit, vt qui melius conijcere nouit, perfectior iudicetur artifex, non enim tam difficile est curare, & accommodatum morbo remedium inuenire, quàm partem affectam, morbi speciem, causam, & euentum dignoscere, Medicina enim ad singulos morbos innumerabilia remedia proponit, quibus tamen prudenter vti non possis ignorato morbo, iuxta illud. *Non intellecti nulla est curatio morbi.*

Verumtamen cum exactam noctem infomnis egissem, acriusq; inpropositas affectiones mentis aciem defixissem, te in deprehendenda pathematum causa, quæ clarissimam Heroïnâ miserè exercent, minimè falsum esse, certa spe erectus sum.

Enimvero, si constet, cardiogmo, ventriculi inflatione, ructibus, vomitionibus, murmure, & borborygmis sub hypochondrijs identidem formosissimam, nobilissimamq; Dominam corripî, quæ & biliosa donata sit natura ad atram vergente obieci-
noris calidam intemperiem, cuius causa etiam toto gracilescit corpore, quis ambigat, multiplicem hanc sympt. varietatem referendam esse in hypochondriacum affectum, quem alij flatuosum, Arabes myrarchialem melancholiam nuncupant, nam etsi

K inculpatè,

inculpate, integreque obeantur principes functiones. (quod infrequens, & insolens esse solet in melancholijs) nil tamen obstat, quin ea morbi species emergat, quam signauimus, dummodo facile obirascatur Domina, in mœrorem propendeat, displiceant sales, & vneres, summum varia animi motione alternatim afficiatur, id quod & Amatus cent. 4. curat Liv obseruauit. & Marcellus Donatus lib. 2. de Adm. Hist. med. c. 2. quibus reclamation Epiphanius, sed immerito, vt notauimus alibi.

Hoc autem intelligi debet, dummodo absint male affecti vteri indicia, ille enim interdum indignatus, & in congestos humores agens multam vaporum propaginem procreat, quibus similia excitantur symptomata, quæ vomitu, aut ructu, aut ventris crepitu tolluntur.

Itaque cum huic generosæ Dominae iecur immodico ferueat æstu, quod multis colligitur notis, reliquum est, vt frigore hebescat ventriculi tonus (absorpta enim ex parte per iecoris nimiam caliditatem eius innata humiditate calor euolauit, & euauit) quam labem per vomitum excretæ pituitæ prouentus arguit: Quare cum nisi longo post tempore chylosis absolui non possit, iecur autem moræ impatiens, humectarique cupiens pernici attractione chyli elaborationem, & perfectionem anteuortat, & anticipet, fit, vt crudior chylus in exiles mesenteriei venulas abreptus inhærescat, præterlabique nescius oppilet, commeatumque reliquo præpediat succo, hinc ventilatione vetita calor præternaturam augetur, sanguis exurit, flogosis suboritur, & genuina hypochondriaca affectio ex melanch. humore, quo in feruore, & subagitatione multigeni efferruntur flatus ad stomachum, quorum copia, & extensione diuulsus identidem dolitat, donec euanescent; Nec est, quod quispiam resistat obijciens, flatus gigni ex frig. materia ab imbecillo calore, hic autem vigeat calor; non est, inquam, nam cum medium definiatur comparatione extremorum, h. e. Agentis ad patiens, tanta autem sit materiae rebellio, & peruicacitas, vt agenti calori obnitens eius vim subterfugiat in flatus conuersa, quos dissoluere non possit ob crassitiem, fit, vt impotentis instar appareat ea in lucta: Accedat melancholiam propria conditione esse statulentam, propterea Hipp. melancholicos appellauit pneumaticos, qua ratione & Arist. existimauit, eosdem libidine turgere. Quæ cum ita sint, (vti esse putandum est) instat, vt incidentibus, & tergentibus obstructions submoueantur, crassus, fœculentus, exustusque humor præparatus imminuas.

Methodus.

imminuatur primum, tum radicitus euellatur, iecinoris feruor temperetur, ventriculi deiectus tenor erigatur, dolor virgens anodynum indicat. Quorum indicationum facilior est inuentio, quam absolutio, quis enim tutam, facilemque ausit polliceri curationem in hac affectuum varietate; In hac humorum contumacia (summæ enim est resistentiæ ob substantiæ modum melancholicus humor); In hac viscerum (vtar Mercati vocabulo) contra operantia; In hac malorum diuturnitate? Equidem animum despondeam, nisi in bonam erigat spem Domina; obtemperantia, atque ætatis floridus annus. Anticipata igitur opinioni succurrendum auxilijs, a fonte chirurgico ducto initio.

Ergo ex dextri brachij basylica fundatur sanguis ad scilibrum, (nil enim æque iecur refrigerat) (ni suppressi aliter suadeant Menfes) tum hæmorrhoidibus hirudines admoveantur, proliciaturque sanguis ad vnc. v. absoluta purgatione non illaudabile videretur inustum dextro femori cauterium. Virgente dolore cucurbitula cum multa flamma ventriculo affigatur. &c.

Quod spectat ad pharmaciam. Sentina eccoprotoico exhauriatur in hunc modum R. syr. ros. sol. vnc. iv. el. len. drach. vi. seri capr. lib. semis. m. f. p. Tum digerendi sunt humores syr. de succo borrag. de pomis de scolopendrio cum D. sem. citri, fl. borrag. comarum lupulorum fol. fonchi, deinde euacuandi infusione sennæ orient. adiecto electario catholico (neque enim fortioribus hic opus est, tum quia humor melanch. blandè tractari vult, tum quod minera haud procul abest: Hoc absoluto de integro parandi, & adæquandi humores ad ulteriorem purgationem syr. de fumo terræ, Regis Sabor, de cychorio cum rheo Nic. dilutis cum D. betonica, fumarica, fl. viol. buglossi, genistæ, sem. securidacæ, passul. Septies his exhaustis propotifmatis, tota eradicanda moles infusione rhei cum agarici momento facta in Decoct. leui epithymi Cretensis passul. sem. citri ex ferro caprillo. Senna, quam prius proposuimus, quia flatulenta est, si videtur, omittatur. Hinc ad generosiora remedia faciendus gradus, vt viscerum eximatur discrasia, proin ad iecur refrigerandum essent, qui commendarent potum Aq. thermalium, utpote B.V. aut Lucensium, ante quarum usum præmitterent Thetutianas, vt viam sternant, & tergeant, & fortassis etiam in calce hauriendas propinarent, vt impressam ventriculo noxam adimant, ea tamen cautione, vt ea permisceantur, quæ huiusmodi aq. per intestina prouoluunt; At aq. Thermæ prohibentur ab hypochondriaca.

Hoc commenda-
dat Bened.
Fauent. in
cons. pro Ill.
Card. ex Gal.
6. epid. c. 5. Id
quod repetit
Foresterius
lib. x. obseru.
xviii.
quemadmo-
dum & bal-
neum.

1003

K 2 melan

melancholia & corporis macie; harum loco sufficiatur D. fantali
rubei, & Melissæ, & Althææ: Pro stomacho ius columbi dome-
stici, in quo mentham, & borrag. incoxeris: Quin Balneum præ-
munito ventriculo, si per ambientis temperiem liceat, vsui ma-
ximopere futurum duxerim.

Litus etiam ex vng. fantali. super hepatis regionem non erunt
omittendi. His peractis prospiciendum stomacho sumptis, &
admotis. Quare quotidie sumat tabellas ex arom. ros. saccharum
absynthiacum, corticem citri conditum, nucem mosch. cond. &
huiusmodi innumera, foris stomachi regio ol. e nuce moschata,
& cinnamomo, e mentha oblinatur tantulo addito aromatico vi-
no; Sed caue, ne dū ventriculo calfaciendo studes, iecur impendio
torridum efficias: A prandio sumat puluerē aliquem stomachum
firmantem, & fumos reprimentem, qualis foret ex corallo, c. c.
præp. diamarg. coriandro præp. addito cinnamomo, aut
sumpto diacytonite, aut saccharo rosato,

Atque nos hæc obiter.



CONSULTATIO
PRO MONACHO LIGNIPEDE
GRAVI AUDITU
SEV SVRDIGINE LABORANTE.

Dvo sunt sensus potissimum, qui non modò ad capessendas disciplinas conducunt, verum etiam ad bene, politèq; viuendum maximè necessarij videntur, quorum alter visus, alter auditus est. Hinc Arist. dicebat, nos præ reliquis sensibus oculos diligere, quia plures rerum differentias nobis suppeditant, atq; auditum idem ipse sensum disciplinæ nuncupauit, nec iniuria sanè, res enim, & animi conceptus per aures hausti magis animo insculpuntur, eumq; magis feriunt.

*In Proem.
metaph.
Lib. de sensu,
& sens.*

Quòd si auditus hebetudo sonorum differentias, vocum, sermonumq; discrimina præpediat, audienti incommoda, & permolesta euadit affectio, loquenti morosa, & abominabilis. Cæterum cum P. T. hæc ipsa affectio diu negotium faceffuerit, allaborandum omnino est, vt quàm fieri potest maximè de medio tollatur, aut certè imminuatur.

At verò quoniam curationem aggredi non licet, prius quàm explorata fuerit cuiusq; natura (naturam voco temperiem cum Galeno), danda in primis opera, vt P. T. temperamentum in apertum se se proferat, vt tum ferendæ prognosi, tum eliciendis indicationibus inseruiat.

Quantum igitur assequi licet ex eusarco, & rubicundo corporis habitu, ex venarum magnitudine, ex florido aspectu, corporis mollitie, morum suauitate, asserendum videtur P. T. sanguinea donari temperie, h. e. calida, & humida, propterea dicebat Hipp. eos, qui puri sanguinis non in expertes sunt, & aspectu, & corpore floridos, & perspicui coloris esse.

*Lib. de stru-
ct. Hom. ad
Perd.*

Cum igitur tali temperie sit prædita P. T. maximè per iecur retorridum, non est mirum si ebulliente sanguine multa vaporum

supellex

supellex tollatur ad præhumidum caput, vbi pituitescences cerebrum, atq; adeo sensuum organa simili qualitate afficiunt. Accedit importunum studium a passu initum, per quod ab officinis coctionis auocatur calor ad caput, & multi vapores vni efferuntur, qui parentis naturam redolent: Huc spectat & benedicta illa hydrargyrosis ad interficiendos pediculos præscripta, quæ cum nervosum genus, præcipue verò nervos ex quinto pari deductos, & organum auditus affecerit, hanc auditus hebetudinem cumulauit, quæ sanè nihil est aliud, (si essentiam spectemus), quàm auditus imminutio propter frigidam, humidamq; nervi auditorij intemperiem, & innatæ auræ crassamentum, vnde non nisi ex magnis vocibus impellitur. Est ergo symptoma de genere animalium functionum minutarum pendens a frigida, & humida intemperie.

Cum igitur hæc sit ægritudinis natura, proximum est, vt videamus, quid per medentium auxilia assequi possimus. Profecto vt nil est gloriosius, quàm futurum euentum præuidere, & prædicere, ita nil fallacius: Pallacia pendet partim ex Medici ignavia, partim ex materiæ conditione circumstantijs temporis, loci, personæ delinita.

Prognosticon Si tamen in hac rerum ambiguitate proferre licet, quid ingenuè sentiam, verendum, vt pristino tenori restituatur auditio, altas enim per temporis diuturnitatem egit radices intemperies, quæ quotidie etiam fouetur tum ab assiduis studijs, tum ab incongrua victus ratione; vescitur enim P. T. legarijs, herbis, & cerealibus frugibus immaturis, imò laganis, & similibus esculentis, quæ tum concoctu sunt difficilia, tum prauis sunt chymi. Verumtamen ne magis inualecat, ingrauescatq; affectio, & insociabilem reddat P. T. manum medicam operi admonendam censeo: Curationem autem auspicabimur a venæ sectione lenita prius aluo per Rhodomel soluens, & mannam, syriacumq; rorem, vti hepatis, sanguinisq; feruor castigetur, atq; adeo vaporum copia subsideat. Tum ad parandos, æquandosq; humores gradum faciemus (neq; enim capitis curationem aggredi licet, prius quam toti prospectum fuerit teste etiamnum Platone) Parabuntur autem syr. de betonica, de succe fumarie, & Endiuie ad dito diluto ex Endiuia, Buglossò, betonica. Parati humores foras exiguntur Agarico, & Rhabarbaro infusis in Aquis betonicæ, & Endiuie, adiecta expressioni iusta electarij de Dactylis portione, (distant enim longè a prima corporis regione educendi humo-

humores): Si hæc satis esse non videantur, repetantur eisdem generis validiora præsidia ut puta cocchia catapotia: Mox ad subalterna remedia faciendus gradus nimirum ad mulicatoria, & errhina, & sternutatoria, quo tempore generosum aliquod auxilium experiri fas est, nempe Decoctionem ex incisa Chinæ radice, quò expressus sudor per legitimum pharmaci vsum superuacuas totius corporis præsertim capitis humiditates assiccet.

Postremum topica usurpari debent, quæ modicum cassificent, & siccent præterea superuacuum pituitatem educant, velut pennicillus e fibris ellebore nigri intinctis melle, & in aures inductis, aut hapsus inebriatus ol. amygd. amar. in quo colocynthis, aut elleb. niger vna cum succo allij, aut porri bollierit. In primis eligendus aer purissimus, & aridior, & communis Monachorum vita declinanda, ut summo, & vnusmodi rerum non naturalium congressu malum recedat. Atq; hæc sunt, quæ festinanter exarauimus, vti propensius erga te animi mei extet inmemosynon.



MICHAEL-

MICHAELI-ANGELO ROTAE
MEDICO, ATQ; PHILOSOPHO CLARISSIMO,
ET OMNIVM VIRTVTVM GENBRE
ORNATISSIMO.
IOANNES STEPHANVS. S.P.D.

*Dari occultas proprietates, probatur, Calculi, & convulsionum:
 aliam esse causam ab ea, quae vulgo putatur.*



Sque adeo, doctissime Rota, rerum species, ratio-
 nesq; in materiae gremio latitant, vt non sit mi-
 rum, si pro veritate comparanda tot opinionum
 myriades emergant, cum enim sua sit cuiq; inge-
 nij vis, atq; conditio, plures de vna, eademq; re
 rationes efformari, effingiq; contingit, quam
 quam res vna, veritas vna. Nihil igitur moreris, aut mireris si in
 praesentiam tibi rerum proprietates improbanti probans ipse re-
 posuerim: Et illud in primis sapientissimi Capiuaccei, quem
 In Epist. ad meritò tanti aestimas, h. e. putrefactionem materiae esse vitium ra-
 Petrum Me- tione formae, venenationem vitium ratione organi formae principalis.
 naniū Med. Quid hoc est rei? Nisi proprietates designet, quae ad tempera-
 tionem praecipuum magis, & dignius videtur esse formae machi-
 namentum, cum nulla substantia sit immediatum agendi prin-
 cipium, nemo, nisi Oedipus, diuinet. Qualitas illa efficienti
 causae intima, quidnam, quaeso est, nisi proprietas? Quid sibi
 volunt specificae, abditaeq; qualitates? Quid audiuit Themi-
 stius elegantissimus, quum facultatem graphicè describens,
 quippiam esse, ait, quod rei substantia ex se profert, ac tanquam
 de sinu suo promit? Sanè plurima, quin omnia ausim dicere aut
 per temperamentum aut per proprietatem agere. Respice
 Heraclium lapidem, qui illibatus ferrū allicit, Adamante circum-
 posito, aut succo allij allitus vim amittit, quam iterum benignus
 Hirci cruor restituit, atq; rependit, in hoc spectaculo ob oculos
 quid

quid obijcitur aliud, quàm proprietas? (Morus verè, & seuerè
sim si morer illorum nugiuendulas de magnete opiniones, quos
satis superq; repressit Sennæ filius). Quod si omnia ad tempera-
mentum reuocas, cur peræq; calida, aut frigida ijsdem viribus
non pollent? Proportionem obtrudes. At proportio, cum
ad aliud referatur, omni vocat efficacia; Scio enim quosdam huc
confugere. Sed mihi omnium instar sit Galeni autoritas, pro-
prietates asserentis aduersus præceptorem Pelopem.

Lib. 5. c. de
Cancro.

Porro calculos coalescere asserui, si fæculenta, & terrosa materia
lapidescenti, vt loquitur Matth. succo iugata, commixtaq; an-
gustos, aridiorefq; peruadat meatus, quibus innexa cohærescat,
quod vsu venit in renibus, ac vesica, per quos materia a sanguine
secreta continenter præterlabitur, atq; strata, prostitutaq;
materiæ præbet incrementum. Accedit renum certa quædam
diathesis, perquam intimum tartarei succi coagulationis princi-
pium promouetur, ac veluti exercetur; diathesim verò non au-
dias vim quandam *λιθοποιητικήν* tartareum, vt dicunt Herme-
tici, succum coagulantem, & in lapillos cogentem, nam valde
atopon esset renibus gignendi calculi vim adscribere, quibus ea
publica cura, & officium incumbat, vt ferosum excrementum
alliciant, atq; fecernant, sed potius materialis quædam compo-
sitio intelligenda est, veluti meatuum laxitas, renum densitas,
angustia, ficitas, excretriciis imbecillitas, huc quoq; calorem
velut syneion, & adiutricem causam appello, non primam &
præcipuam, quis enim credat, aut concedat tantam caloris hy-
perbolem, quæ vim cogendi lapillos habeat? Quod si ita est,
cur humidis non dissoluuntur, & dissipantur? Sic enim contin-
git ijs, quæ calor coegit. Cur omnibus, queis renes summo tor-
rentur æstu, & ventres vberima turgescunt cruditate, calculi
non succrescunt?

Deniq; conuulsionum vnicam, & continentem causam statui,
fibrosarum partium expultricis, quæ animalem vim sibi in eadem
sede coniugatam in sympathiam trahit, irritamentum a re mo-
lesta. Neq; enim proximè neruorum repletio siue secundum sub-
stantiam, siue secundum cavitatem, siue secundum tunicas, vt
Neotericorum vtar idiomate, conuulsionem parit, verum pa-
raplegiam, & motus, sensusq; impotentiam, & narcosin;
neq; tanta vigere potest in viuente corpore ficitas, quæ ner-
uos contrahat, aut adducat, quod si hoc verum est, cur hecti-
cis, aut marasmo confectis, quibus anima est pro sale,

Sennertus.

L neruorum

neruorum non accidit contentio?

Vide igitur vir præstantissime, quàm dubia sint omnia, vt non iniuria scripserit Rhois filius Medicorum verba in hoc symptomate vniuersim simillima esse Musicorum cantilenis, aut Anicularum fabellis, cur enim in latum potius, quàm in longum protenduntur?

Atq; hæc sunt, quæ per temporis angustiam tibi optimo, & spectatissimo Philosopho obijcere volui; rogo igitur vt æqui, boniq; consulas & mihi festinanter scribenti, & abs te gratiam ineunti aliquid condones: Expectabo autem ab Horto tuo, in quo Suadæ, & Apollinis vernat Genius, vberimos tuæ sapientiæ fructus liliorum candore resperfos, atq; nitentes. Vale Asclepiadarum decus, & me in tuorum numero esse velis.



IOAN:

IOANNI STEPHANO
FRATRI DILECTISSIMO.

B. STEPHANVS. S. D.



Nimi gratia cum externa die litteris vacarem, nec non meos reuoluerem Auctores, qui mihi sunt instar animatorum sociorum, quibus hic vndequa; & omnino non sine tormento careo, vt tu ipse excogitare potes, cum inquit Philosophus, Homo est animal sociabile, & politicum, quod societate mirè delectatur; non absq; tamen magna voluptate, hæc externa oblitus, in meo Museo intrusus perlegi hæc verba, quæ sunt Concilij Anquirensis.

Quisquis credit aliquid posse fieri, aut aliquam creaturam in melius; aut in deterius immutari, aut transformari in aliam speciem, vel similitudinem, nisi ab ipso Creatore, qui omnia fecit, & per quem omnia facta sunt, proculdubio infidelis est, & pagano deterior.

Post horum lectionem reuocaui in dubium, quoniam de singulis dubitare non est inutile, an ars Alchymia sit prohibita, & an Alchymistæ heretici putandi sint, cum credant posse transmutari aliquod corpus, siue speciem, in aliud corpus, & speciem, nam ipsi, vt tenes, Auricalcum, & Plumbum, in Aurum, & Argentum permutare conantur: Si more Legistarum adhæreo litteræ, absq; dubio Alchymistas esse hæreticos, & Alchymie artem damnatam, atq; nullius ponderis esse, vt quotidie nos vsus, & experientia docet, cum nunquam ad optata perueniant, quamuis multum temporis, & olei conerant, asserere debeo. Amplius in hanc sententiam huiusmodi argumentum me trahit.

Quod lex non permittit, videtur prohibitum, at Alchymia sine auri decoctione fieri non potest, quæ decoctio ab Augustis. Imp. Honorio, & Theodosio prohibetur, ergo Alchymia ars est vetita. Attamen facillè labor in contrariam opinionem, quia mihi nō videtur impossibile, & repugnans omnino naturæ, quod ex vna specie metalli . 5. ære, alia species metalli . 5. aurum pro-

L 2 ducatur

ducatur, nec hoc, ut puto, est credere unā speciem mutari in aliam, quod esset impossibile. Quod dixi non est inconueniens; nam non ne videmus ex herba vitrum confici? ex re mortua non raro viuam produci, ut videre est in bombycibus? Sic equidem. Ergo multo magis ex metallis in quibus est maior conuenientia, & similitudo potest fieri commutatio aeris in aurum. Et cum ars imitetur naturam, Alchymista non peccat, dummodo non arte Magica, sed virtute herbarum, lapidum, & elementorum de stanno faciat argentum, cum sint quasi ex eodem principio, & similia, in habetibus autē symbolū, ideo facilis, mihi crede, est transitus, quia ut est credendum, multae virtutes herbis lapidibus, & elementis insunt. Ad cuius corroborationem in medium afferō Augustini notabile, & aureum dictum, albo lapillo signandum.

Insunt rebus corporeis per omnia elementa mundi quaedam occultae seminae rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis, & causalis prorumpunt in species debitas suis modis, & finibus.

Ad te verò, quia facile decipi possum tanquam in his parum versatus, pro solutione huius meae dubitationis sicut ad Apollinis Oraculum confugio, ut haec, quae mihi per obscura sunt, rationibus magis appositis facias clariora. Solaminis gratia tibi haec scribere volui, & ut inde tuo auxilio aliquos fructus percipere possim. Natalitias solemnitates tibi à Deo exopto cum alijs quamplurimis propitias, atque auxiliares. Me ut commendatum habeas, rogo, & Vale.

Longaroni xi Chal. Ian. Anno ab orbe redempto M DC XXIV.

Per obliuionem exciderat, hic modo Attagenas, Porphyrones, Vrogallos maiores, & minores infrequenter decipulis decipi, aut pyrio puluere, plumbeaque glande perfodiri, & caedi, tanta enim vis niuium repente Caelo decidit, ut vias inuias copia effecerint, & iter omne interceperint. Iterum bene vale.

B. STE-

B. STEPHANO V. I. D.

AC FRATRI DILECTISSIMO.

IOANNES STEPHANVS. S. P. D.

Chymica artis Professores nulla hærescos suspitione teneri.



Eriæ dubitationes tuæ animum mihi mulserunt, & blanda quadam admiratione affecerunt, ita bellè, & solidè quæris. Suppudet verò, pigetq; me tanti non esse, qui planè tibi satis possim facere. At verò quoniam conatus meos pro tua humanitate agnosces, audendum. Paucis igitur, quid sentiam, accipito.

Anquirenti Concilio sancitum est, qui Metamorphosin citrà Dei voluntatem crediderit, infidelem esse.

Quæ sanè sanctio memoriam tibi refricuit Alchymia: vnus metalli in aliud transmutationem profitentis, atq; adeò numquid Chymistæ, qui cæterorū metallorū in argentum, & aurum transmutationem tuentur, infideles censendi sint, & hæresi damnati.

Cuius rei declarandæ gratia, altius quædam repetenda sunt, & illud in primis alta mente tenendum, transmutationes duplicis esse generis; quædam enim ex idonea, aptaq; materie fiunt ad formas certis circumstantijs limitatas, & definitas; quædam verò nequaquam. Priores naturæ viribus existunt interdum solius, nonnunquam artis ope communitæ. Ars etenim naturam perficit. Posteriores summa Dei potestate consistunt; enimuero materia nullam ad effectum producendum obtinens dynamin, & facultatem, nihili rationem subit, solius porro Dei est, aliquid ex nihilo procreare, vis enim desideratur infinita, atq; inexhausta. Quamobrem, qui crediderit Hecubam in Canem, Io in Vaccam, Calisto in Vrsam, Actæona in Ceruum, Picum in Auem, Mœrim in Lupum, Apuleium in Asinum citrà Dei voluntatem conuersum fuisse, infidelis erit, & hæresi infectus. Verum dices. Nonne firma credit fide Ecclesia, Vxorem Lothi versam fuisse in statuam, Nabucod. Regem in Iuencum? Ad hæc nonne

Circe

Circe sortilega Vliſſis ſocios mutauit in Porcos? Narrat Diuus Auguſtinus; quosdam viatores in lumenta conuerſos pondera baiulaſſe. Sed enim quemadmodum illa ſecreto Dei conſilio planè acciderunt, ita iſthæc temerè non ſunt admittenda, fuerunt enim præſtigie, quæ oculis impoſuere, neq; enim mens in belluino corpore conſillere poteſt vel momento, ſi modò omnia in numero, pondere, & meſura facta ſunt. Pythagoræis nil magis eſt in conſeſſo, quàm formarum tranſmigration. Accedit, fabellis illis aliquid ſubefſe, quo docemur, ſcortatores fieri ſuiſus perſimiles.

Reliquum modò eſt, vt videamus, an ferro, aut cupro inſit aliqua ad aurum facultas, quàm ſi conſiterit inefſe, facilis poſtea erit quæſtionis dilutio.

Phyſicis controuertitur, num Deus materiæ mutationis potius, quàm perfectionis appetitum indiderit.

Ariſt. perfectionis appetitum tribuiſſe videtur cum primo Phyſ. ſcripſit, materiam appetere formam, ceu ſcœmina vitum, quapropter Scaliger huius opinionis acerrimus eſt fautor.

Quod ſi ita eſt, diſſiteri non poſſumus, metallis omnibus inſitam eſſe propenſionem ad aurum veluti ad finem, & perfectionem, in qua conquieſcant. Sed eſto, vt Deus materiæ mutationis appetitum indiderit, eo nomine cætera metalla, vtpote quæ eadem materia conſtant, nempe Mercurio, & ſulphure, poterunt aliquando in aurum artis ope commutari. Nam eſſi ſingula, acquiſita propria forma conquieſcunt, nec aliam expetunt formam, attamen peculiaribus exuta diſpoſitionibus, & melioribus ab extrinſeco agente imbuta dynamim nancieſcuntur ad meliorem formam. Hinc Chymicæ Artis fautores argumentum ſamunt, arguuntq; artis opera ſummueri poſſe naturæ impedimenta, & materiæ ſopitam potentiam inductis per artem certis aptitudinibus excitari ad aurum formam ſuſcipiendam. Propterea D. Thomas ex cæto metallis aurum conſtari conſtanter aſſeruit, dummodo certa ratione actiua paſſiuis coaptentur, vt inde naturæ actio reſultet. Neq; tamen hinc conſectum volumus, vt per artem forma ſpecifica in aliam transferri poſſit. nam hoc eſt naturæ ſolius, non artis quæ cum ſit accidens ſubſtantiæ productionem non attingit niſi naturæ coniugata.

Sunt, qui putent, auro inefſe genitum ſpiritum, ſed craſſum, & in ſecundum, qui ignis, & artis ope depuratus, & ſyncerior ſecundus euadit, & ſolo cum altero metallo coitu, congreſſuq; aurum

Com. In
Meteor.

Fernelius.

aurum gignit. Hunc spiritum Elixir vocant Arabes, quem velim
potius, quam Socratis genium.

His fatis, superq; probatum puto, naturæ viribus posse ex cæ-
teris metallis aurum confari, quare haud infideles censendi erunt
Chymici, sed suffiones, & bonorum decoctores, pauci enim in-
genij acumine naturæ arcana peruadunt.

Atq; hæc pro tempore tibi sint fatis. Rogo interim, vt per-
gas, & tuum excolas, perficiasq; ingenium bono gymnade.

Vale. Prid. Kal. Ianu. M DC XXIV.

Inuitus audiui, non inueniri Alites Monticolas, quas iam du-
dum Amicis voueram, si studio inueniri possunt, quam primum
ad me per Puerum transmittas.

F I N I S.

VENETIIS, MDCXXXVII.

APUD HÆREDES IOHANNES DE SALIS.

Superiorum permissu.

Errata		sic corrigito
pag. 2.	Defipere	Defipere
pag. 11.	formidabilis	formidabilis
pag. 13.	Auxilo	Auxilio
pag. 16.	Reuara	Reuera
pag. 17.	Riscendens	Discedens
pag. 27.	Transmittit	Transmittit
pag. 30.	efficax	efficax
pag. 36.	Ingluuiet	Ingluuiet
pag. 45.	passionem	passionum
pag. 53.	eorum	earum
pag. 75.	catharrus	catarrhus
pag. 78.	faccun	siccum
pag. 79.	decolorer	decolorat
pag. 80.	bollierit	bullierit
pag. 89.	in praesentiam	in praesentiarum
pag. 90.	proprietates	proprietatem.